DE LYSIAE QUAE FERTUR
CONTRA ANDOCIDEM ORATIONE (VI).

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

WALTER WEBER

DRESDENSIS.

LIPSIAE

TYPIS E. FRETERI.

MDCCCC.

IUSTO HERMANNO LIPSIO

PRAECEPTORI VENERABILI

SACRUM.

Denuo ut retractarem quaestionem de ratione quae intercedat inter Andocidis orationem de mysteriis profanatis habitam atque eam, quae in Lysiacis tradita (VI) *κατ' Ἀνδοκίδου* inscripta est, imprimis hac re adductus sum, quod adhuc nondum inter viros doctos convenit, quid de invectiva illa censendum sit. Quam maxime enim sententiae fluctuant, cum alii in iudicio eam oratam esse, alii a rhetore inferioris aetatis originem traxisse contendant, alii aliud praeferant.[1]) Quorum nemo tamen argumenta ad persuadendum aptissima usurpavit neque iam rem ad probabilitatem quandam persecutus est.

Atque equidem sic disputationem instituam, ut priusquam Ps.-Lysiacam in examen vocem, exponam quomodo accusatio facta lisque ipsa adversus Andocidem intenta sit.

---

[1]) Forensem esse defenderunt: Hoelscher, de vita et scriptis Lysiae oratoris p. 56 sqq. — Bergk, Griech. Lit.-Gesch. IV 356 sq. — Blass, Att. Beredsamkeit ²I p. 566 sqq. — Blass, Andocidis orationes, editio altera 1880 p. XVIII. — Kirchhoff, Hermes I p. 7. — Perrot, l'éloquence polit. et judic. à Athènes I 194. — Roegholt, Ps.-Lysiae oratio contra Andocidem p. 10. 53. — Scheibe, Lysiae orationes, editio altera 1880 p. LXXIX. — v. Wilamowitz-Möllendorf, Aristoteles u. Athen II 74 n. 5. Ab altera parte stant: Ruhnken, historia critica p. 50. — Sluiter, Lectiones Andocideae 1804 Lugd. Bat. p. 175. — Becker, Andokides übersetzt und erläutert 1832 p. 7. — Falk, die Reden des Lysias übers. und erläutert p. 70. — Francken, Commentationes Lysiacae p. 43 sqq. — Lipsius, Andocidis orationes, Leipzig 1888 p. V., X n. 35. qui tamen eandem sententiam quam ipse probare studui paucis significavit. Excerptam esse eam ex accusatione primaria evincere studebat: G. Zutt, die Rede des Andokides *περὶ τῶν μυστηρίων* und die Rede des Lysias *κατ' Ἀνδοκίδου*. Progr. Mannheim 1891.

Caput I.

De lite adversus Andocidem intenta.

Ut ex multis aliis locis I 8. 10. 29. 33. 111. 121., ita ex §° 71ᵃ (et 103ᵃ) manifestum est, adversarios inimicum per endeixin ad iudicium arcessivisse.

71: *ἐνέδειξε* (sc. *Κηφίσιος*) *μέν με κατὰ τὸν νόμον τὸν κείμενον, τὴν δὲ κατηγορίαν ποιεῖται κατὰ ψήφισμα πρότερον γενόμενον.*[1])

Quae ratio accusandi in quosnam usurpata sit, docet nos Harpocration, qui hoc annotat s. v. *ἔνδειξις.*[2])

εἶδος δίκης δημοσίας ὑφ' ἣν τοὺς ἐκ τῶν νόμων εἰργομένους τινῶν ἢ τόπων ἢ πράξεων εἰ μὴ ἀπείχοντο αὐτῶν ὑπῆγον.

Quicunque igitur ius arrogabant, quod iis non competebat, cum loca quibus utpote atimi impediti erant, adibant, per endeixin rei fiebant.

Ergo adversarii Andocidis nomen detulerunt, quod atimiam plane sprevisset.[3])

---

[1]) paene eadem verba §° 103ᵃ quoque leguntur.

[2]) cf. hac de re Meier u. Schömann, der Attische Prozess, neubearb. von Lipsius p. 286 sqq. — Schömann, Griech. Staatsaltertümer, neu bearb. von Lipsius p. 523.

[3]) Tamen hoc memorabile est, neque Andocidem vades dedisse neque in carcerem coniectum esse, id quod ex Atticorum iure et usu erat. (Lipsius, Att. Proz. p. 272).

Quemadmodum hoc commiserit, comperimus ex Andocideae §° 111ª.

ἐπειδὴ γὰρ ἤλθομεν Ἐλευσινόθεν καὶ ἡ ἔνδειξις ἐγένετο

et 132ª *νῦν δὲ ἀσεβῶ καὶ ἀδικῶ εἰσιὼν εἰς τὰ ἱερά.*

Quibus ex verbis apparet Andocidem interfuisse sollemnibus Eleusiniis indeque inimicos sibi comparasse ansam oratoris accusandi, quod sacra adiisset quamvis honoribus civilibus orbatus. Itaque Cephisium eiusque sodales (§ 92 sqq.) ad archontem regem sacrorum (qui munere fungebatur ius dicendi) libellum dedisse, quo accusati peccatum explicabatur, Zuttius recte monet (p. 7), tamen de libelli forma non consentimus cum eo qui haec verba fuisse existimat:

Ἀνδοκίδης ἄτιμος ὢν ἀδικεῖ εἰσιὼν εἰς τὰ ἱερά.

Contra nos quidem sic scriptam esse accusationem opinati simus

ἀδικεῖ Ἀνδοκίδης εἰσιὼν εἰς τὰ ἱερὰ οὐκ ἐξὸν αὐτῷ ἀτίμῳ ὄντι[1])

atque argumentandi causa adscriptum fuisse decretum illud Isotimidis proclive est arbitratu, quod quid continuerit ipse reus est testis

71 *ὁ μὲν γὰρ εἶπεν* (sc. *Ἰσοτιμίδης*) *εἴργεσθαι τῶν ἱερῶν τοὺς ἀσεβήσαντας καὶ ὁμολογήσαντας.*

Nam tum cum denuntiasset viros Hermocopidarum flagitio implicatos, Isotimides quidam brevi post psephisma rogavit, quod in eum ipsum latum esse videtur ex II 24. 27. (etsi I 71 affirmat ad se illud non pertinere *οὐ ἐμοὶ προσήκει οὐδέν*) quoque impunitate dempta atimia ex parte affectus est.

Quod attinet ad tempus definiendum, plane amplector Lipsii sententiam (l. l. p. X, 32) qui endeixin factam esse mense Boedromione nondum praeterlapso anni 399 enucleavit. Nam illo mense mysteria Eleusinia celebrata esse inter omnes constat. Itaque paulo post illos dies festos, postquam endeixis ad archontem regem data est, accusatus causam oravit. Quapropter nullo modo stare possunt, quae Franken sibi visus erat effecisse, qui

---

[1]) conf. Lipsius l. l. p. 803 sqq., qui harum accusationum exempla exhibet.

exhibet (p. 45) apud Ps.-Lysiam non tantum rami in mysteriorum celebratione depositi nullam mentionem esse (I 110), sed etiam de mysteriis mentionem esse tanquam instantibus

§° 5ª καὶ τίνα γνώμην οἴεσθ' ἕξειν τοὺς μύστας τοὺς ἀφικνουμένους ἢ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, οἳ ἕνεκα ταύτης τῆς ἑορτῆς (ἐπιδημοῦσι) κ.τ.λ.

Ipsa igitur accusatio spectabat ad mysteriorum profanationem, cui orator obnoxius fuerit ingressus Eleusinium (ut perlucet ex §° 29ª ubi litibus prioribus perlustratis asseritur περὶ τῶν μυστηρίων ὧν ἕνεκα ἡ ἔνδειξις ἐγένετο) et hoc praecipue premendum erat; insuper autem adversarios non siluisse de rei impietate certum est revocantes ad prius illius malefactum, dico Mercurii simulacra decurtata, quoniam secundum §um 71am Isotimidis decretum in eos valebat, qui flagitium confessi erant. Ac reus quamquam quidquam sese deliquisse negat, tamen ipse in oratione altera mendacii se convincit § 7 et § 23, ubi Menippi psephismate sibi impunitatem esse concessam testificatur quam appetere non necesse erat nisi ipse sceleri interfuisset. Quod haud dubie inter cives constabat. Quocirca maxime est probabile, accusatores hoc (Isotimidis) decreto fundamento argumentorum usos esse, atque eius vim non irritam esse redditam amnestia illa anno 403 inter omnes communicata eos contendisse suspicari licet, siquidem tam large Andocides disputet de vi legum decretorumque quae post oblivionem lata erant (§§ 72—99).

Franckeni (p. 48) sententiam ex iis quae modo explanavi futtilem esse vix quisquam infitias ibit. Ille enim aliam endeixeos causam sibi enodasse videbatur, sic iudicans (p. 44): „Secundum Andocidem Cephisius in eum ἔνδειξιν ἀσεβείας detulit, quod denuntiasset patrem propter mysteria violata; contra hoc crimen orator se defendit §is 19—33." Genere ipso ac natura ἐνδείξεως hoc refellitur.

Profecto gravissimum accusationis Isotimidis psephisma fuisse ex §° 71ª perspicuum est. Breviter complectar quod in universum argumentum accusationis fuerit. Contenderunt sese Andocidem in iudicium vocavisse quod Eleusina transgressus

mysteriis celebratis interfuisset (111. 29. 132.) una fortasse criminationem de virgula supplicis adicientes (110. 113). Ex decreto autem Isotimidis non licere oratori ut atimo praesentia sua templa profanare (70 sqq.). Quod ut demonstrarent argumentis firmis amplius disserere necesse erat, cur illud psephisma in reum rogatum esset, id quod aptam facultatem praebebat de prioribus oratoris facinoribus, de Hermocopidarum scelere cuius particeps fuerit, de patris sociorumque delatione (19. 54 sqq. 100) invidiose agendi.[1])

Quod decretum obtinuisse vim suam etiam post Euclidem archontem (71) cum accusatus ipse peccatum confessus sit. Ceterum hominem qui adeo in res sacras deliquerit nequissimum esse poenaque gravissima qui plectatur dignissimum. Quibus verbis adiunxerunt exempla de deorum vindicta ab impiis saepe repetita (29). Deinde facile attexere licebat, superos iam tum iram in Andocidem exagitare coepisse, revocantibus ad exulis vitam, ad navigationis pericula aliaque, quibus crimina illustrare placebat (137 sqq.).

Postremo finem eos fecisse in cohortandis iudicibus ne quippe qui initiati essent (29. 31. 32.), emitterent scelestum illum ex manibus credi potest. Atque adversarios non abstinuisse contumeliis reo potestate data ingestis per se apertum est totaque oratione probatur.

In accusando tres viri laborem suum consumebant, ex quibus Cephisius quasi principatum tenebat sicut apparet multis locis (111. 137. 139. 33. 71. 121. 92). Ex §° 92[a] sqq. quoque ubi reus singillatim in delatores invehitur et illud elucet et dignoscimus subscriptores non defuisse. Quorum Meletum et Epicharem nominat (94. 95) atque ex defensionis ordine probabile est, illum deuterologiam orasse, hunc tertiarum partium fuisse. Atque totius accusationis auctorem exstitisse Calliam, qui pecunia data istos homines instigaverit ex inimicitiis quae ipsi cum Andocide intercedebant reus nos edocet inde a §° 117[a].

[1]) Quod Falk (p. 68) et Hoelscher (p. 67) de oratoris vita stuprosa dicunt, rectum non est; viri docti voci *ἑταιρείας* falsam significationem subiecerunt.

Ipsi reo causam dicenti subvenerunt secundum §um 150am Anytus et Cephalus qui tum popularium partibus praeerant.[1])

Haec fere comperta habemus ex oratione de mysteriis habita, quae attinent ad litem ipsam accusatores accusatum.

Caput II.

De Ps.-Lysiacae conscriptae tempore.

Jam adeamus orationem illam, quae *κατ' Ἀνδοκίδου* inscripta est. In hac diiudicanda viros doctos nequaquam conspirare iam supra memoravi. Ex quibus unus, Sluiter, ad eam adductus est sententiam, ut in tempora ab Andocidis aetate sat remota eam referendam esse censeret, autumans in schola rhetorica a Demetrii Phalerei aequali hanc invectivam exercitationis causa compositam esse. Quod haud paucis iisdemque non imbecillis argumentis munivisse sibi visus erat.

Quae argumenta tamen non tanta vi esse, quae refutari nequirent, iam nonnulli viri eruditi demonstrare studebant Kirchhoff, Hoelscher, Zutt ac contra evincere ab homine Andocidis suppari illam accusationem originem duxisse. Quamquam res non semper prospere illis cessit. Equidem in subsequenti quaestione id agam ut ea momenta afferam, quibus in propatulo est auctorem invectivae ipso illo tempore vixisse, quo actio adversus Andocidem intenta est. Alluditur enim ad res quasdam, quae accuratam cognitionem testificantur eius condicionis qua Atheniensium respublica usa est paulo ante populi reditum vel post eum.

Enumero indicia, quibus summam vim attribuo.

[1]) cf. Lipsius, Andocides p. X.

§ 44/45: „Ii delatores, qui partes XXX tyrannorum secuti exulaverant, Athenas redire verentur, quamvis eis liceat ex pactionibus eisdem atque Eleusiniis."

§ 17: „Nec iam memoria oblitterata est sceleris Diagorae Melii, qui libello quodam in arcana peccavit."

§ 46: Mentio fit *τῆς συμφορᾶς*, qua sola voce stragem illam ad Aegos flumen acceptam a. 404 significari intelligimus.

Praeterea Andocidis vita resque gestae pluribus locis describuntur omniumque quae eum spectant, luculenta notitia patescit §§ 46. 30. 48. 33. 6. 26. 11.

§ 46 De aetate oratoris annotatur.

§ 30 comperimus, insidias ei paratas esse eumque accusatum.

§ 48 exprobratur quod rem publicam capessat fretus opibus suis, quae criminatio iam paulo supra §° 33ª ei obiecta est

§ 6 nos edocet quae loca accusatus in itineribus maritimis adierit.

postremo neque mentio Cypri § 26 neque Archippi accusatio § 11 praetermittenda est.

Singula nunc diligentius perlustremus!

§ 45 Andocides in comparationem vocatur cum homine quodam nequissimo, qui Athenis versari non conetur, quamquam ei frui liceat beneficio oblivionis, quam Atheniensium plebs cum Eleusiniis inierit

καὶ οὐσῶν αὐτῷ συνθηκῶν καὶ ὅρκων καθάπερ τοῖς Ἐλευσινόθεν.

pactum autem esse cum Eleusiniis ante repertum Aristotelis libellum de republica Atheniensium inscriptum, qui exhibet (c. 40,2)

διελύθησαν δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἐν Ἐλευσῖνι κατοικήσαντας ἔτει τρίτῳ μετὰ τὴν ἐξοίκησιν ἐπὶ Ξαινέτου ἄρχοντος

non compertum habebamus nisi ex Xen. Hell. II 4, 43 et Just. V 10, 11. Eiusdem igitur rei testimonium hic quoque tenemus, quod adhuc tamen spretum est. De suo autem inferioris aetatis rhetorem recordari pactionis illius anni 402/1 improbabile duco.

Accedunt verba quae legimus praecedentia:

καὶ οἱ μὲν ἄλλοι μηνυταὶ . . . ἓν γοῦν ἐπίστανται μὴ ἐνοχλεῖν τοῖς ἠδικημένοις ἡγούμενοι ἀποδημοῦντες μὲν ἀθῷοι καὶ ἐπίτιμοι δόξειν εἶναι.

Ille qui loqui fertur iudicibus in memoriam revocat, multos delatores qui a XXX viris stetissent exilium ferre malle quam Athenis commorantes odium civium suscipere. Cuius rei exemplum affert Batrachum. Quem hominem delatoris provinciae incubuisse scimus ex Lys. XII 48; eiusdem auctoris orationem adversus Batrachum de nece habitam Harpocratio memorat s. v. *Φηγούσιον*. Praeterea comicus Archippus (apud Athen. VII 329 c.) in fabula *ἰχθύες* inscripta (post a. 403 docta) in eius mentionem incidit. Accuratiora de viro illo invectivae auctori innotuerunt, quandoquidem addit *ἐν ἑτέρᾳ πόλει οἴκει*, id quod iam in vivis eum non esse indicare mihi videtur. Quae omnia ad id punctum temporis quo memoria et illius pacti cum Eleusiniis facti et Batrachi recens erat, i. e. in litis aetatem optime quadrant.

Idem iudicandum est de altero quodam. § 17 exstant haec *τοσοῦτο δ' οὗτος Διαγόρου τοῦ Μηλίου ἀσεβέστερος γεγένηται.*

Hoc quoque loco reus confertur cum viro nefario quodam, cum Diagora Melio. Quam comparationem „hyperbolice adeo et per *αὔξησιν* usurpatam esse, ut quod simile sit in Lysiae orationibus non reperiatur" Sluiter censet (p. 169). Nam tale aliquid rhetoris esse et declamatoris non accusatoris.

Diagoras ille in Aristophanis fabulis bis temptatur, alterum in Av. v. 1073, cuius versus scholiasta docet, istum libro de mysteriis confecto in religionem deliquisse ideoque Athenis aufugere coactum esse. Tamen ne postea quidem recordationem Diagorae evanuisse, alter eiusdem poetae versus testatur Ran. v. 320, quae comoedia a. 405 acta est. Posteriorem auctorem aliquid audire potuisse de hominis nequitia non negabimus, quamquam hoc nihil verisimilitudinis habet, at sciscitatum eum esse, quomodo impie sese gesserit non facile est intellectu. Sed noster apertis verbis dicit:

ἐκεῖνος μὲν γὰρ λόγῳ περὶ τὰ ἀλλότρια ἱερὰ καὶ ἑορτὰς ἠσέβει, οὗτος δὲ ἔργῳ περὶ τὰ ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει.

Multo gravius autem indicium sequentia praebent. § 18 legimus:

καὶ μὴ οὓς μὲν ἔχετε ἀδικοῦντας ἀφίετε, τοὺς δὲ φεύγοντας ζητεῖτε συλλαμβάνειν, ἐπικηρύττοντες τάλαντον ἀργυρίου δώσειν τῷ ἀπάγοντι ἢ ἀποκτείναντι.

Totus conexus postulat ut haec referamus ad Diagoram Melium, de quo decrevisse Athenienses, ut qui eum prehendisset vel interemisset, praemio unius talenti afficeretur, comperimus ex Arist. Av. 1073.

τῇδε μέντοι θἠμέρᾳ μάλιστ᾽ ἐπαναγορεύεται
ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον
λαμβάνειν τάλαντον.

Ac profecto scholia et ad hunc locum et ad Ran. 320 illud populiscitum perhibent quod nostro loco nobis servatum est, quamvis non ad verbum hic afferatur saltem secundum scholiastae dicta:

schol. 1073 *Μελάνθιος δὲ ἐν τῷ περὶ μυστηρίων προφέρεται τῆς χαλκῆς στήλης ἀντίγραφον . . . ἐὰν δέ τις ἀποκτείνῃ Διαγόραν τὸν Μήλιον λαμβάνειν ἀργυρίου τάλαντον.*

Ad tale psephisma autem certe nemo revocare poterat, qui non ipsum nosset, id quod posterioribus temporibus aegre fieri poterat.

Contra haec nihil valet quod exhibet Müller-Strübing N. Jahrb. CXXI p. 87 sqq. Is enim sententiam profert, ea quae apud Aristophanem dicta sint in Av. 1073 *ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον* nequaquam ad condicionem quadrare in qua tum Atheniensium versata sit respublica. Nonnisi de Protagora talia affirmare licere. Qua de causa proponit coniecturam versus cum mutari iubeat illud *Μήλιον* in *Τήιον* argumento usus loci cuiusdam fabulae Eupolideae ,*Κόλακες*'

ἔνδοθι μέν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήιος
ὃς ἀλαζονεύεται μέν, ἀλιτήριος,
περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἐσθίει.

unde elucere Protagoram nominatum esse *τὸν Τήιον* quamvis oriundus fuerit Abdera. Ac concludit porro Athenienses statim si verba *Διαγόραν τὸν Τήιον* exaudissent, de Protagora cogita-

turos fuisse, cum *Πρωταγόραν τὸν Τήιον* comicus ut alienum a comoedia non scripsisset. Quam argumentationem duplici de causa caducam reor. Ac primum quidem haud intelligimus curnam Aristophanes ipsum philosophum nominatim non attulerit, (quod enim Müller-Strübing contendit, ipsum nomen viri cuiusdam, quantum fieri poterat, circumscriptum esse, vix quisquam concedet), tum locus noster ipse contra viri docti sententiam pugnat, quoniam hinc et Aristophanea illa muniuntur et poetae verba integritatem nostri loci testantur.

Artificiosius autem quam quod comprehendatur est, quod p. 93 haud improbabile ducit, ab iis grammaticis qui Aristophanis locum mutabant, etiam Diodori textui vim allatam esse l. XIII 6, cum pro *Πρωταγόρου* voce insererent *Διαγόραν*. Num sic quoque nostra in oratione nomen Diagorae in textum venisse putari licet?

Indicium aliud lucramur § 46. Ubi auctor contendit neque ante calamitatem neque post eam reum expeditioni ulli interfuisse:

ἀλλ᾽ οὐδεπώποτ᾽ ἐκ τῆς πόλεως ἐστρατεύσατο . . . οὔτε πρὸ τῆς συμφορᾶς οὔτε μετὰ τὴν συμφοράν.

Voce *συμφορᾶς* significari cladem illam funestam ad Aegos flumen acceptam in propatulo versatur. Ac profecto Lysiae aetate scil. paulo post stragem illam non raro eadem notione hoc vocabulum usurpatum esse nonnulli huius oratoris loci testificantur.[1])

Lys. XII 43 *ἐπειδὴ δὲ ἡ ναυμαχία καὶ ἡ συμφορὰ τῇ πόλει ἐγένετο.*

XXXI 8 *ὅτε ἡ συμφορὰ τῇ πόλει ἦν.*

Tunc igitur nemo non intellexit quamnam rem vox *συμφορᾶς* spectaret. Simplex autem hoc vocabulum valuisse ad cladem illam significandam, cum iam multum temporis praeterlapsum esset parum probabile est, quia memoria calamitatis prope exstincta vix quisquam quid sibi vellet illa '*συμφορά*' perspiceret.

---

[1]) cf. Frohberger ad. Lys. XII 43. Ausgew. Reden des Lysias 1. Bd. 2. Aufl. besorgt von Gebauer 1880. Zutt p. 32.

Alia deinde invectivam in tempore litis Andocideae ponunt. Nam posteriorem rhetorem cognitionem earum rerum quae ad oratorem attinent ex ipsius rei defensione depromere oportuisse manifestum est, quippe quae ad accusationem conscribendam inspicienda esset. Nihilo setius illum auctorem nonnumquam talia proferre videmus qualia ex inimici verbis comperta habere nequibat. Quod igitur constat, ipsum illum gnarissimum esse rerum Andocidearum, inde necessario concludendum est nullum nisi aequalem esse eum qui composuit Lysiacam quae fertur.

Delego primum ad § 46 verba:

οὐδεπώποτ' ἐκ τῆς πόλεως ἐστρατεύσατο . . . πλέον ἢ τετταράκοντα ἔτη γεγονώς.

Quod legimus Andocidem numquam stipendia meruisse, cum Thucydide certare videtur, qui I 51 refert Andocidem Leogorae filium praefuisse expeditioni XX navium una cum Glaucone quodam:

αἱ εἴκοσι νῆες . . . ὧν ἦρχε Γλαύκων τε ὁ Λεάγρου καὶ Ἀνδοκίδης ὁ Λεωγόρου.

Quod tamen testimonium in censum non venit, siquidem iam pridem ex Meieri de Andocide praeclara disputatione (opusc. I p. 98) omnibus probatur, oratorem eo anno (433) strategiam suscipere nondum potuisse utpote qui non multum ante annum 440 natus sit. Atque nomen ‚Andocidis' loco Thucydideo scribae errore exstare pro ‚Dracontide' item omnes hodie consentiunt nisi titulo quodam CIA n. 179, unde liquet Glauconis collegam fuisse Dracontidem pago Thoris oriundum, quem pagum Stahl[1]) satis probabiliter evicit contra Müller-Strübing[2]) qui suppleverat demoticon *Βατῆθεν.*[3]) Thucydides ergo nil valet in Ps.-Lysiae verba, quae aliunde quoque muniuntur. Andocides enim certe in enumerandis iis rebus, quae sibi causam dicenti bono esse possent militiae munus pro republica susceptum non praetermisisset. At ne verbum quidem hac de re affert neque

---

[1]) Rhein. Museum XL p. 439 sq.
[2]) Aristophanes und die histor. Kritik p. 600.
[3]) cf. quoque Lipsius l. l. p. VI n. 9.

in prima neque in altera oratione (ubi tantummodo (II 11 sq.) de beneficio in Atheniensium exercitum collato sermocinatur) neque alius scriptoris fide firmatur, militis provinciae Andocidem operam impendisse. Quapropter fallacem esse ducem hac in re eum, qui invectivam composuit neutiquam credi potest; et sequentia quoque πλέον ἢ τετταράκοντα ἔτη γεγονὼς veritatis indicium iterum praebent.

Explicate hic dicitur orator litis tempore amplius XL annos natus esse. Ac iure quidem. Fulcitur enim non modo eo, quod Andocides ipse II 7 prodit adulescentem sese fuisse cum famosae Hermocopidarum actioni implicatus esset, sed etiam quod I 148 conqueritur sibi liberos nondum natos esse, id quod homini aetate iam provectiori de se vix affirmare licet.[1])

Ergo ut summam probabilitatem habent, quae in invectiva exstant de oratoris aetate ac de stipendiis non factis, ita veri est dissimillimum, posteriorem auctorem tam peritum esse eorum, quae ad illum tendunt. Accedit unum quamvis minus grave. Constat Demetrii Phalerei aetate, qua exortam esse orationem κατ᾽ Ἀνδοκίδου Sluiter opinatur, ipsos cives non iam belli aerumnas subisse, sed ex mercennariis undique congestis exercitus conformasse. Tum forsan non tantum attributum esset illi ‘ὡς στρατιώτης ἀγαθός᾽. Tamen hoc obiter.

Haud scio an insuper ex §[i] 47[ae] verbis ἕτεροι φεύγοντες ἐν Ἑλλησπόντῳ συνετριηράρχουν aliquid enodare possimus. Postquam criminatus est accusator reum nunquam arma tulisse pro patria, addit alios eosdemque exules in Hellesponto cum triremibus Atheniensium classi subvenisse. Illud ‚ἐν Ἑλλησπόντῳ' referendum esse ad pugnam in Aegos flumine commissam elucet. Atque his verbis alludi ad res vere gestas suspicari non solum possumus sed debemus, cum aliter talis annotatio inepta sit. Iis autem qui illud ‚ἕτεροι φεύγοντες‘ scriptum videbant vel audiebant, exulum illorum nomina nota fuisse proclive est coniectu.

Aliam ansam temporis praebent nobis verba § 30.

τὸ δὲ τελευταῖον νῦν ἀφικόμενος εἰς τὴν πόλιν δὶς ἐν τῷ

[1]) cf. Lipsius l. l. p. VI.

αὐτῷ (ἐνιαυτῷ) ἐνδέδεικται. καὶ τὸ μὲν σῶμα ἀεὶ ἐν δεσμοῖς ἔχει, ἡ δὲ οὐσία αὐτοῦ ἐλάττων ἐκ τῶν κινδύνων γίγνεται.

Cur his verbis diffidamus non est. Ipse enim accusatus in defensionis primordio testatur, inimicos contendisse, ut sibi nocerent:

I 1 *τὴν μὲν παρασκευὴν καὶ τὴν προθυμίαν τῶν ἐχθρῶν τῶν ἐμῶν ὥστε με κακῶς ποιεῖν ἐκ παντὸς τρόπου καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως ἐξ ἀρχῆς ἐπειδὴ τάχιστα ἀφικόμενος εἰς τὴν πόλιν ταυτηνί κ. τ. λ.*

I 6 *οἱ μὲν γὰρ ἐκ πολλοῦ χρόνου ἐπιβουλεύσαντες καὶ συνθέντες.*

Non narrat accuratius de illis insidiis, cum adversarius bis eum accusatum esse prodat. Quamquam in iudicio illae delationes ad finem perductae esse non videntur. Ceteroquin cur uterque sileat de litis eventu intelligi nequit. Nam cum accusator si inimicus condemnatus esset id pronuntiare vix sprevisset, tum reus, si prospere causa cessisset idem facere certe aspernatus non esset.[1]) Elucet, arbitror, auctorem Ps.-Lysiacae oratoris vitam diligenter persecutum esse.

Tum aliud examinemus.

§ 48 haecce invenimus

ἀλλὰ πλουτῶν γὰρ καὶ δυνάμενος τοῖς χρήμασι καὶ βασιλεῦσιν ἐξενωμένος καὶ τυράννοις.

Divitem autem se esse Andocides diserte non memorat, immo ex § 144 posteriorem rhetorem contrarium fuisse collecturum persuasum habeo

144 *ὃς πρῶτον μὲν ἐκ πολλοῦ πλούτου ὅσον ὑμεῖς ἴστε, οὐ δι' ἐμαυτὸν ἀλλὰ τὰς τῆς πόλεως συμφορὰς εἰς πενίαν πολλὴν κατέστην*

etiamsi haec dicta sunt de re familiari qualis quidem fuerit ante oratoris reditum.

Verumtamen suo iure de opibus rei hic auctor loquitur.

---

[1]) Etiam si quis pro deuterologia habet invectivam, silentium illud de successu admirationem suscitat, cum non liqueat, cur omnino eas accusationes memoraverit.

Andocidem enim inter ditissimos cives fuisse pluribus momentis perspicuum fit.

I 4 ipse indicat se non ea deficere quae ad victum necessaria sint

ᾗ ἔξεστι μὲν ἀπελθόντι ἐντεῦθεν ἔχειν πάντα τὰ ἐπιτήδεια, ἔστι δὲ πλεύσαντι εἰς Κύπρον ὅθενπερ ἥκει γῆ πολλὴ καὶ ἀγαθὴ δεδομένη ἐν δωρεᾷ ὑπάρχουσα.

Porro ex vita post reditum eius opulentia patet. Nam fungebatur muneribus quibusdam, ad quae administranda opibus divitiisque indigebat. Ipse I 132 se liturgias obisse, gymnasiarchi provincia functum esse et missum ad ludos Isthmicos Olympicosque gloriatur. Neque multo post litem de mysteriis peractam eum victoriam reportasse Dionysiis puerorum choro cyclio, cuius falsus Plutarchus quoque mentionem facit (p. 835 B) fide tituli constat (CIA II 553). Praeterea se propositum esse ad munus quaestoris sacri aerarii ipse perhibet I 132.[1])

Contra haec nullius ponderis sunt verba

ἡ δὲ οὐσία αὐτοῖ ἐλάττων ἐκ τῶν κινδύνων γίνεται

quae cum amplificatione rhetorica usurpata esse videntur, nisi forte invidiose pronuntiata ea esse iudicamus. De quibus infra aliquid addam.

Quibus explicatis de Andocidis muneribus statim adiungamus alia.

§ 33 crimini tribuitur reo, quod rempublicam capessiverit contionatusque magistratus reiciendos curaverit et senatus coetibus interfuerit.

§ 33 *ὥστε καὶ παρασκευάζεται τὰ πολιτικὰ πράττειν καὶ ἤδη δημηγορεῖ καὶ ἐπιτιμᾷ καὶ ἀποδοκιμάζει τῶν ἀρχόντων τισί, καὶ συμβουλεύει εἰς τὴν βουλὴν εἰσιὼν περὶ θυσιῶν καὶ προσόδων καὶ εὐχῶν καὶ μαντειῶν.*

Imprimis premendum esse arbitror illud

ἐπιτιμᾷ καὶ ἀποδοκιμάζει τῶν ἀρχόντων τισί.

Quem magistratum reiecerit non comperimus, neque enim Andocides hoc commemorat. At fictum tale quid esse, cur

---

[1]) cf. Lipsius l. l. p. X n. 32.

censeamus non est. Equidem mihi persuasi reapse id evenisse, simul autem non modo auctorem invectivae ipsum haud ignorasse, quis ille magistratus fuerit, sed quicunque legerent, eos sensisse ad quem virum haec verba respicerent, id quod non quadrat nisi in id temporis punctum, quo hoc acciderat, nempe brevi post reditum oratoris.

Tum inquiramus in § 6. Ubi describitur quas regiones praesentia sua reus molestaverit

ἔπειτα δὲ καὶ διώχληκε πόλεις πολλὰς ἐν τῇ ἀποδημίᾳ Σικελίαν Ἰταλίαν Πελοπόννησον Θετταλίαν Ἑλλήσποντον Ἰωνίαν Κύπρον.

In oratoris defensione bis tantummodo Cyprus perstringitur (I 4. 132.) et alibi generaliter agitur de maritimis itineribus (137).

Sed cur ab hac regionum enumeratione veritatem abrogemus non est (propter I 137. 145.), quamquam exspectamus mentionem Macedoniae, ubi versatum se esse Andocides orationis de reditu habitae § 11 nos docet. Quod tamen minoris est momenti, cum item negligatur Elis in qua exul vitam degisse a Plutarcho dicitur (p. 835). Undenam tanta cognitione posteriorem auctorem esse putandum est? De suone haec omnia finxit? Parum credibile! praesertim cum quae in sequentibus subiunguntur

βασιλέας πολλοὺς κεκολάκευεν ᾧ ἂν ξυγγένηται πλὴν τοῦ Συρακουσίου Διονυσίου· οὗτος δὲ ἢ πάντων εὐτυχέστατός ἐστιν ἢ πλεῖστον γνώμῃ διαφέρει τῶν ἄλλων ὃς μόνον τῶν συγγενομένων Ἀνδοκίδῃ οὐκ ἐξηπατήθη

egregie corroborentur ipsius rei verbis

I 145 *φιλότητες πρὸς πολλοὺς καὶ βασιλέας καὶ πόλεις.*

Nimirum in invectivae loco difficultas quaedam inest.

Syracusarum enim dominationem Dionysius arripuit anno 406/5.[1]) Tamen initio eius regimen nondum firmo fundamento nitebatur neque est probabile, Andocidem inter arma ac discidia civium tyrannum adiisse. Ergo ineunte demum

---

[1]) Grote, Griech. Geschichte V 665 ff.

anno 404, quo principi nihil iam metuendum erat, Syracusis Andocides commorari potuit apud tyrannum fortasse commercii causa. Nam quae leguntur apud Hoelscherum (p. 63) de confusis oratoris legatione et peregrinatione in censum venire nequeunt, cum legati honore numquam praeditus esset, id quod viri docti antea persuasum habebant. Cuius rei haec sunt firmamenta. Primum quidem nunc inter omnes convenit orationem *κατ' Ἀλκιβιάδου* qua sola opinio de Andocidis legatione muniri videbatur ([And.] IV 41) ab oratore nostro compositam non esse. Accedit quod fieri omnino non potest, ut Andocides legati munus umquam administraverit illo tempore, quoniam aetas, quae flagitabatur ad talem provinciam suscipiendam, impedimento ei erat. Ante annum enim tricesimum nemini legationem inire licebat cumque noster orator, quod viri eruditi nunc consentiunt, circa annum a. Chr. n. 440 natus sit, ei honos ille attribui non poterat ante annum 410, quo atimia affectus erat. In mercatura igitur facienda verisimile est loca illa eum adiisse.

Quod Zutt (p. 30) contendit et mentionem Dionysii et verba illa *ἢ πάντων εὐτυχέστατός ἐστιν ἢ πλεῖστον γνώμῃ διαφέρει τῶν ἄλλων* excludere fictionem rhetoris, quoniam fortuita sit memoratio, nullo consilio prolata, vix quisquam ei concedet. Per se sane additamentum illud *οὗτος δὲ πάντων εὐτυχέστατός ἐστιν ἢ πλεῖστον γνώμῃ διαφέρει τῶν ἄλλων*, cui vir doctus vim quandam tribuit, nil valeret, (cum rhetor inferioris aetatis facile haec verba addere posset ad dissimulandum litis tempus), nisi ex iis indiciis, quae adhuc collegi, accipiendum esset, de posteriore auctore cogitare non licere. Quod si consideramus, profecto optime quadrant vocabula *εὐτυχέστατος ἢ πλεῖστον γνώμῃ διαφέρει* in actionis tempus.

Nec non idem censendum esse reor de duabus aliis paragraphis 11 et 26.

Ut enim in verbis

ὥστε πρὶν [μᾶλλον ἢ ἧττον] ἢ ἐπιδεδημηκέναι δέκα ἡμέρας ἐν τῇ πόλει προσεκαλέσατο δίκην ἀσεβείας πρὸς τὸν βασιλέα . . . φάσκων τὸν Ἄρχιππον ἀσεβεῖν

accurate omnia narrantur (cum scriptor nos non celet

quo tempore Andocides illum hominem detulerit, cuius nomen ipsum haud ignorat), ita illa aetate i. e. paulo post eversos XXX tyrannos civium animos intentissimos fuisse ad religionem tuendam lite edocemur adversus Socratem instituta. Quod recte iam Kirchhoff (l. l. p. 12 ff) animadvertit cui Zutt prorsus adstipulatus est (p. 30).

Itaque quamquam vix existimandum est, grave quidquam Archippum deliquisse (propter verba *ὁ δὲ Ἄρχιππος ἠντιδίκει ἦ μὴν τὸν Ἑρμῆν ὑγιᾶ τε καὶ ὅλον εἶναι καὶ μηδὲν παθεῖν ὥσπερ οἱ ἄλλοι Ἑρμαῖ*) ac fortasse non cogitandum est nisi de malefacto ab Aristophane Av. v. 1054 illuso,[1]) tamen facile est intellectu incusatum respicientem, qualis tunc esset animorum habitus, pecunia data delatorem inducere studuisse, ut accusatione desisteret.

Hic adiecerim, sic ipsum contrarium evinci eorum quae Sluiter effecisse sibi videbatur, praecipue premens illud *Ἑρμῆν πατρῷον*. Cuius rei argumenta, quae usurpaverat ad sententiam confirmandam propulsare necessarium non duco, quippe quae iam a Kirchhoffio refutata sint. —

Praeterea cum Zuttio crediderim Cypri quoque mentionem nobis ex re esse ad tempus definiendum orationis confectae. Nam Euagoram eius insulae regem cum Atheniensibus circa annum 400 in amicitiae consuetudine fuisse, plurium scriptorum auctoritate probatur.[2]) Neque opinor temere tum facinus illud memoratur, quo civium amicum offenderit.

Utroque loco mihi perlucere videtur eius hominis qui invectivam composuit, notitia accurata illius condicionis, qua respublica Atheniensium usa est illis temporibus.

Postremo revocaverim ad narrationem illam, quae exstat inde a § 21. Hic sane inest, quod suspicionem nobis movet et difficile aliquid hoc loco contineri confitebimur. Audimus enim Andocidem de Hermis violatis accusatum litem vinclis aestimasse, cum posset pecunia aestimare eumque noluisse servum

---

[1]) *μέμνησ᾽ ὅτε τῆς στήλης κατετίλας ἑσπέρας.*
[2]) Isocr. Euag. 20 f. Xen. Hell. IV 8, 24 Lys. XIX 20.

sceleris conscium tradere, sed eum occidendum curasse, quo facto cum iam per annum in vinclis fuisset, amicos detulisse (Sluiter p. 171 Hoelscher p. 60).

Verba ipsa sunt haec

Ἀνδοκίδης γὰρ ἐπειδὴ ἥμαρτεν ἐξ ἐπιβολῆς εἰςαχθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον ἔδησεν ἑαυτὸν τιμησάμενος δεσμοῦ εἰ μὴ παραδοίη τὸν ἀκόλουθον.

Quam lectionem nunc omnes receperunt et suo iure, tamen Zutt (p. 25) pro ʻἐπιβολῆςʼ tenere mavult ʻἐπιβουλῆςʼ id quod codex habet. Perperam opinor. Artificiose enim sibi vir doctus rerum conexum construit ad declarandam vocem ʻἐπιβουλῆςʼ Perhibet haec:

„Andocides dicitur consulto ab amicis nempe hetaeris in iudicium adductus esse ipseque vinculis sese dedisse, ut adversarios qui non ab optimatium partibus starent delatione sua pernicie affligeret. Mirum profecto. Nam satis notum est ex Andocideae verbis (I 68) ipsum accusatum sodalium suorum nomina denuntiasse, qui tamen eandem factionem sc. optimatium sequebantur et sic ab consilio, quod illum habuisse Zutt fingit, inimicis interitum ingerendi prorsus destitisse. Quocirca abiciendam hanc sententiam censeo.

At vox illa *ἐπιβολῆς* explicationem postulat. Suspicari licet, Andocidi a magistratu impositam esse *ἐπιβολὴν*, qua neglecta eum ad iudices vocatum esse. Verumtamen fere totum per annum in carcere versatum eum esse, id quod statim asseritur *ἐδέδετο ἐγγὺς ἐνιαυτόν* non credibile est. Nam ipso teste subsequenti statim nocte, postquam comprehensus est, a Charmide consòbrino ei persuasum est, ut qui facinoris participes fuissent indicaret, et quod Plutarchus (Alcibiad. 21) de longiore spatio loquitur credi nullo modo potest. Ex Thucydidis nimirum testimonio iam aliquantum temporis praeterfluxerat ex illa nocte qua malefactum commissum erat neque magistratus eos capere desierunt, quicunque suspecti viderentur; sed de anno fere integro cogitare parum probabilitatis habet.[1]) Num tantum tempus

[1]) praesertim cum Thuc. VI 60 tradat *τὸν μὲν μηνυτὴν εὐθὺς καὶ τοὺς ἄλλους μετ᾽ αὐτοῦ -- ἔλυσαν.*

quo tempore Andocides illum hominem detulerit, cuius nomen ipsum haud ignorat), ita illa aetate i. e. paulo post eversos XXX tyrannos civium animos intentissimos fuisse ad religionem tuendam lite edocemur adversus Socratem instituta. Quod recte iam Kirchhoff (l. l. p. 12 ff) animadvertit cui Zutt prorsus adstipulatus est (p. 30).

Itaque quamquam vix existimandum est, grave quidquam Archippum deliquisse (propter verba *ὁ δὲ Ἄρχιππος ἠντιδίκει ἦ μὴν τὸν Ἑρμῆν ὑγιᾶ τε καὶ ὅλον εἶναι καὶ μηδὲν παθεῖν ὥσπερ οἱ ἄλλοι Ἑρμαῖ*) ac fortasse non cogitandum est nisi de malefacto ab Aristophane Av. v. 1054 illuso,[1]) tamen facile est intellectu incusatum respicientem, qualis tunc esset animorum habitus, pecunia data delatorem inducere studuisse, ut accusatione desisteret.

Hic adiecerim, sic ipsum contrarium evinci eorum quae Sluiter effecisse sibi videbatur, praecipue premens illud *Ἑρμῆν πατρῷον*. Cuius rei argumenta, quae usurpaverat ad sententiam confirmandam propulsare necessarium non duco, quippe quae iam a Kirchhoffio refutata sint. —

Praeterea cum Zuttio crediderim Cypri quoque mentionem nobis ex re esse ad tempus definiendum orationis confectae. Nam Euagoram eius insulae regem cum Atheniensibus circa annum 400 in amicitiae consuetudine fuisse, plurium scriptorum auctoritate probatur.[2]) Neque opinor temere tum facinus illud memoratur, quo civium amicum offenderit.

Utroque loco mihi perlucere videtur eius hominis qui invectivam composuit, notitia accurata illius condicionis, qua respublica Atheniensium usa est illis temporibus.

Postremo revocaverim ad narrationem illam, quae exstat inde a § 21. Hic sane inest, quod suspicionem nobis movet et difficile aliquid hoc loco contineri confitebimur. Audimus enim Andocidem de Hermis violatis accusatum litem vinclis aestimasse, cum posset pecunia aestimare eumque noluisse servum

---

[1]) *μέμνησ' ὅτε τῆς στήλης κατετίλας ἑσπέρας.*
[2]) Isocr. Euag. 20 f. Xen. Hell. IV 8, 24 Lys. XIX 20.

a Zuttio pressa numero. Hic contendit (p. 29) e § 40 apparere, Lacedaemonios curare foedera servanda. Tale quidquam autem illic inveniri ego quidem negaverim. Per irrisionem quandam tantum interrogatur, num Lacedaemonii ipsi Andocidi providerint.

Neque eidem assentiri possum affirmanti, § 33 de optimatium censura in magistratibus appetendis sermonen esse. De optimatibus hic prorsus nihil dicitur, Andocidi crimini datur, quod *ἐπιτιμᾷ καὶ ἀποδοκιμάζει τῶν ἀρχόντων τισίν.*

Ac ne § 7 quidem nos delegari in litis aetatem concesserim. Ubi Graecos ad Athenienses oculos convertisse indicari si iudices sapientia uterentur exspectaturos. Hoc per auxesin oratoriam proclamatum est, quare in verbis illis

ὥστε μὰ Δία οὐ ῥᾴδιόν ἐστιν ὑμῖν αὐτῷ οὐδὲν χαρισαμένους παρὰ τὸ δίκαιον λαθεῖν τοὺς Ἕλληνας

quomodo indicium adsit computandi temporis non perspicio.

Item e §§ 8. 9. 10. perlucere ambiguam legum condicionem infitiatus sim. In eo quod reus vim abrogare decreto in ipsum lato dicitur

ὥστε λέγει περὶ τοῦ νόμου ὡς καθῄρηται ὁ περὶ αὐτοῦ κείμενος

nihil id genus reperitur quodque accusator perhibet, aut leges exstinguere oportere aut tollere nefarium istum ex ipso accusandi genere declaratur.

Porro § 14 Areopagus quamquam laudibus effertur ut gravissimum et innocentissimum iudicium, tamen eum *φυλακὴν τῶν νόμων* habere inde colligere mea quidem opinione non licet, nihil perspicuum esse videtur nisi eum, qui invectivam conscripsit, animo propenso fuisse iu illum. Qua de re postmodo nonnulla expositurus sum.

Sed postremo non praetermiserim, quae inde a § 24 legimus. Tota vita Andocidis ibi adumbratur ex eo tempore cum Hermocopidarum causa peracta per Isotimidis decretum iure civitatis ex parte orbatus est. Nam etiam singula etsi concise ac breviter ex illa narratione cognoscimus. Fimus certiores eum sub quadringentorum regimine anno 411 primum frustra cona-

in tanto periculo Andocidem mansurum fuisse arbitrabimur, si ei potestas data esset, sui liberandi? Quid igitur restat? Nil nisi ut statuamus hic agi de duabus litibus, quibus implicatus sit orator; altera significatur verbis *ἐξ ἐπιβολῆς εἰςαχθείς* cumqua alia vinciendi causa statuenda sit (cf. And. VIII n. 18), referemus ea, quae exin § 23 legimus ad actionem illam de Hermis truncatis institutam. Quae confusio nisi consulto facta est ab adversario, inde quoque explanatur quod plus XV annos praeterierunt. De vocis *ἐπιβολῆς* integritate dubitatio existere non potest opinor, facillime autem codicis corruptela *ἐπιβουλῆς* intelligitur, cum ille, qui legit, notione *ἐπιβολῆς* non perspecta vocem immutaret.

Ex tota narratione concludere licere reor res hic tangi, quae ambobus notae fuisse videntur et ei qui orationem conscripsit et iis qui haec verba audiverunt. Sic quae exstant de servo *εἰ μὴ παραδοίη τὸν ἀκόλουθον· εὖ δ' ᾔδει οὐ δυνησόμενος παραδοῦναι,* etsi dubium est verane sint (conf. And. I 64) tamen inde apparere videtur, inter cives hac de re suspicionem exstitisse. Alienum autem est ab omni verisimilitudine, posteriorem rhetorem qui sui exercendi causa accusationem componeret, obscuritate et quasi caligine verba sua velasse, cum arte illustrare omnia et exornare posset. Per ignorantiam autem, qua serioris temporis fictio pateat, auctorem hic in errorem lapsum esse cum Sluitero non est credendum (p. 171).

Post haec argumenta ex ipsis rebus repetita Wilamowitzii quoque firmamentum vim quandam prae se ferre censeo, qui scriptoris Andocidi supparis documentum exstare conclusit ex § 10 verbis (l. l.)

μὴ μόνον χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις νόμοις περὶ αὐτῶν ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγράφοις

cum ab Eumolpida quodam ipsa Periclis dicta citentur. Tamen si quis existimat rhetorem posteriorem finxisse loquentem Eumolpidam quendam quod fieri potuisse nemo infitiabitur, solo hoc loco non multum lucramur.

Quae alia indicia allata sunt ad tempus certius finiendum, incertiora duco quam ut eis fidem habeamus. Inter haec nonnulla

Sauppio testificante[1]) quamquam codicis Palatini illo loco duo folia deperdita sunt, non multum accusationis prooemii praesto fuisse certum est ideoque ampla non aderat narratio, tum quod altum per totam ipsam narrationem silentium hac de re suspicionem nobis movet. Porro desideramus copiosiorem disputationem de vi populisciti illius, quandoquidem reus tantis firmamentis munire studet suam sententiam, post archontem Euclidem nullam valere legem aut psephisma, quod non probatum sit (71 sqq.). Ubique tangit Ps.-Lysias rem, nusquam explanat. Quo accedit quod crimina quaedam, contra quae orator sese defendit (19. 110.) in invectiva plane neglecta sunt. Inferioris autem aetatis scriptor ad conformandam accusationem vix tanta momenta sprevisset.

Quae indicia virorum doctorum multos adduxerunt, ut in Andocidis tempus Ps.-Lysiacae auctorem referrent, in oratione autem ipsa diiudicanda censerent nos habere deuterologiam.[2]) Nam accusationem ipsam intendit Cephisius (cf. p. 9) qui vir nostrae orationis § 42 vehementer atque invidiose pervellitur.

Itaque iam possitne haec sententia stare examinaturus sum.

Caput III.

Utrum Ps.-Lysiae oratio in iudicio habita sit necne.

Ad hanc quaestionem extricandam intueamur primum quidem § 42.

ἴσως οὖν καὶ Κηφισίου ἀντικατηγορήσει καὶ ἕξει ὅτι λέγειν· τὰ γὰρ ἀληθῆ χρὴ λέγειν . . . . . ἕτερος δὲ ⟨καιρὸς⟩ ἥξει Κηφισίῳ καὶ ἡμῶν ἑκάστῳ ὧν οὗτος νῦν μεμνήσεται.

---

[1]) Epistula critica ad G. Hermannum p. 7. Ausgew. Schr. p. 83 f.

[2]) Blass, Att. Bereds. [2]I p. 562. 568., Andocidis orationes, ed. altera p. XVIII. — Hoelscher, l. l. p. 67. — Roegholt, l. l. p. 10. 43 (Anm.) 53. — Scheibe, Lysiae orationes, ed. alt. p. LXXIX. — Wilamowitz, l. l. II 74. n. 5.

Vetamur fere his verbis de oratione forensi cogitare. Nam ut parum credibile est subscriptorem (quem loquentem secundum haec fingere oportet), hoc modo in ipsum sodalem invehi eumque iudicibus nefarium proponere (*καὶ ἕξει ὅτι λέγειν*), sic est veri dissimillimum, eum contra se ipsum talia verba facere '*καὶ ἡμῶν ἑκάστῳ*' atque quodammodo poenae ipsum se commendare. Neque sycophantae ac delatori veritatis studium tantopere cordi fuisse quantopere exclamant verba *τὰ γὰρ ἀληθῆ χρὴ λέγειν* concedetur.

Quo accedit quod Cephisius accusator primarius erat, in invectiva is qui loqui fertur, item delationis principatum tenere videtur secundum § 19 *ἵνα . . . ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει δῷη δίκην* (cf. And. p. X n. 35) quasi Cephisius loquatur, in quem tamen § 42 talia convicia iactat!

Porro aliquantum est mirum Andocidem eo loco quo reapse *ἀντικατηγορεῖ Κηφισίου* § 92, non ad haec verba § 42 animum advertere. Si enim ea in accusando pronuntiata esse suspicamur, non solum exspectamus sed tanquam flagitamus, ut reus in se defendendo ne negligat contumelias illas ab adversario Cephisio ac sibi ipsi ingestas iudicibus in memoriam revocare, quippe quae aptam praeberent facultatem invidiae in delatores suscitandae. Verba scilicet legimus § 42 *ὧν οὗτος νῦν μεμνήσεται*, quae quasi revocant ad accusati locum illum. Attamen ex tali brevi annotatione ut coniciamus auctorem Ps.-Lysiacae rationem habuisse Andocidis dictorum nequaquam adducimur, contrarium potius opinati simus. Sed hac de re postmodo (cf. p.)! Quocirca cum neque accusatorum quemquam de se sic sermocinaturum esse apud iudices existimandum sit cumque reus in defensione illa non urgeat, concludendum est summa cum probabilitate, non in iudicio hanc orationem esse habitam.

Subiungam aliud.

Inde a § 51 prodit accusator, oratorem imitatum esse mysteria *οὗτος γὰρ ἐνδὺς στολὴν κ. τ. λ.* et postquam illustravit illam impietatem sic pergit

καὶ ἐπὶ τούτοις ἱέρειαι καὶ ἱερεῖς στάντες κατηράσαντο

πρὸς ἑσπέραν καὶ φοινικίδας ἀνέσεισαν κατὰ τὸ νόμιμον τὸ παλαιὸν καὶ ἀρχαῖον.

Devotum igitur Andocidem a sacerdotibus esse hinc cognoscimus. Quae devotio sitne revera facta magnopere dubitandum est. Nusquam apud alium scriptorem quidquam hac de re traditum esse omitto. At constat Alcibiadis exemplo, hominem devotum in patriam redire non potuisse nisi antea resacratus esset. (Plut. Alcib. c. 22. c. 33. Corn. Nep. Alc. 6). Quapropter iam Sluiter (p. 72) et Hoelscher (p. 62) iudicaverunt, illius causam in Andocidem translatam esse ab invectivae auctore et utrumque confusum esse id quod propter spatium longum facile accidere posset. At vix decem anni praeterfluxerant, ita ut credibile non sit, per confusionem tale quid translatum esse ab Alcibiade in Andocidem; immo odio commotum adversarium de devotione rei dixisse statuemus. Curnam autem accusatus tam profundo silentio hoc gravissimum despicit? Profecto certum est eum Athenas reverti nequisse nisi resacratum. Itaque hoc opprobrium si ei in lite obiectum esset, sane non praetermisisset, cum ei simpliciter id proferre liceret, in ipsum hoc non convenire quippe qui iam dudum sacerdotum resacratione restitutus esset.

Deinde mihi persuasi duobus aliis criminibus, quae apud Andocidem leguntur, a Ps.-Lysia negliguntur, probari nostram non esse forensem. Dico illa de patris delatione (§ 19) et de rami supplicis depositione (§ 110).

Indignatione quadam inflammatus Andocides § 19 conconqueritur sibi adversarios non modo mysteriorum profanationem, sed etiam patris denuntiationem crimini tribuisse. Cuius opprobrii in accusatione quae fertur nullum est vestigium; nihil ei exprobatur nisi quod amicos affinesque prodiderit

§ 23 *καὶ ἐμήνυσε δεδεμένος κατὰ τῶν αὑτοῦ συγγενῶν καὶ φίλων.*

Quam rem, quae manifesto evertere videtur Zuttii sententiam, hic tollere studet, affirmans (p. 9) „probabile esse talia prorsus non ab accusatoribus prolata esse. Tamen ab Andocide copiose hoc tractari, quod radicitus crimen illud pravissimum patris delati refellere ac delere voluerit. Priore enim oratione

de reditu habita ipsum sese patrem denuntiasse profiteri quamvis obscuris verbis.“ (Quod ego nego. Se detulisse ipse quidem concedit, patrem se detulisse nusquam dicit. Immo vero ad patrem servandum se denuntiasse affirmat II 7 sq.).

Contra eius argumentationem haec reputari velim. Num aliquantillum probabilitatis habet, reum in lite capitali nulla necessitate coactum in mentionem incidere rei tam gravis ac periculosae? Credi non potest eum quidquam repellere studere quod memorare eius omnino non refert. Ac ne minimum quidem ea re lucratus esset. Hanc ob causam equidem mihi persuasi fieri non posse quin opinemur Andocidi illud facinus obiectum esse, id quod in contraria quam dicunt oratione requirimus, ubi tamen deesse neque poterat neque debebat. Nam iis quoque qui deuterologiam putant esse invectivam concedendum erit, simodo amicorum cognatorumque delatio ei exprobrata est, nequaquam simul patris denuntiationem negligi potuisse. Hoc enim gravissimum erat summumque valebat ad iudicum iram instigandam.

Neque quemquam nobis contradicturum esse arbitror in parte orationis amissa patris delationem prolatam esse. Quod improbabile est iam inde, quod in § 23, ubi sermonis contextu postulatur, certe non omissum esset.

Simile aliquid nobis iudicandum erit de altera criminatione. Secundum verba Andocidis (110—121) reus arguitur in Eleusinio supplicatoriam virgulam deposuisse.

110 *κατηγόρησαν δέ μου καὶ περὶ τῆς ἱκετηρίας ὡς καταθείην ἐγὼ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ, νόμος δ᾽ εἴη πάτριος, ὃς ἂν θῇ ἱκετηρίαν τεθνάναι.*

In Lysiaca autem, quam respexisse Andocidem in defensione credunt, nulla virgulae supplicis mentio fit. Ac tamen in epilogo, ubi accusatorum momenta breviter repetuntur et § 52 qua de impietate rei agitur, locus erat aptissimus criminis vel afferendi vel repetendi. Abhorret autem a verisimilitudine flagitii mentionem sperni, cui ex accusatorum dictis supplicium statutum esset. Quare ne in deuterologia quidem id praetermitti potuit.

Deinde reo exprobratur § 49, quod mari vectus non ausus sit patriae succurrere frumento apportato

ναυκληρῶν οὐκ ἐτόλμησεν ἐπαρθεὶς σῖτον εἰσάγων ὠφελῆσαι τὴν πατρίδα.

et paulo infra

σὺ δὲ τί καὶ ἀγαθὸν ποιήσας ὦ Ἀνδοκίδη, ποῖα ἁμαρτήματα ἀνακαλεσάμενος, ποῖα τροφεῖα ἀνταποδούς;

Hoc opprobrium nusquam propulsare studet in defensione quamquam habet quo provocet. In oratione enim altera ipse beneficia quaedam se in Atheniensium populum contulisse pronuntiat

II 11 *οὐπώποτε οὔτε τοῦ σώματος οὔτε τῶν ὄντων ἐμοὶ ἐφεισάμην ὅπου ἔδει παρακινδυνεύειν. ἀλλ' αὐτίκα μὲν τότε εἰσήγαγον εἰς στρατιὰν ὑμῶν οὖσαν ἐν Σάμῳ κωπέας . . . εἰσήγαγον δὲ σῖτόν τε καὶ χαλκόν.*

Num est credibile accusatum occasionem neglecturum fuisse contra inimicorum contumelias facta illa in iudicum memoriam revocandi, quibus popularem se praestiterat, si quid ei de frumento non apportato obiectum esset?

Praeterea suspicionem nobis movet quod rationem non habet eorum, quae de malefactis in Cypriorum reges commissis § 26 sqq. prolata sunt. Quidni provocat ad possessiones suas fundosque, quae Cypri dono sibi data essent (I 4), quibus demonstraret aut se in gratiam redisse cum principibus aut accusatores falsa prodidisse, quoniam I 145 amicitia et regum et urbium se uti dicit?

Adnectam alia argumenta. Invenimus enim saepenumero in defensione Andocidem contraria contendere eorum quae accusatione continentur, etsi ad delatoris verba hac in re non respicit neque respondet illius opprobriis.

§ 21 *εἰ μὴ παραδοίη τὸν ἀκόλουθον· εὖ δ' ᾔδει οὐ δυνησόμενος παραδοῦναι ὃς διὰ τοῦτον καὶ τὰ τούτου ἁμαρτήματα ἀπέθανεν.*

Totam hanc narrationem quam maxime turbatam esse iam supra notavimus. Tamen servum occisum esse ne de mysteriis violatis (I 11) denuntiaret hinc intelligimus itemque Andocidem auctorem fuisse mortis. At eius ipsius verba huic opprobrio adversantur

I 64 ὡς οὖν ἦν ταῦτ' ἀληθῆ, τόν τε παῖδα τὸν ἐμὸν παρέδωκα βασανίσαι.

Luculenter igitur ipse profitetur servum se tradidisse quamquam nequaquam rationem habet invectivae $§^{i}$ 21^{ae}, cum si huius loci criminationem audivisset, certe vehementer obstitisset crimini servi interempti ac pro mendacio declarasset.

Item non aperte se convertit in illud ἐδέδετο ἐγγὺς ἐνιαυτὸν (§ 23) quod haud dubie falso esse affirmatum supra monstravimus.

Neque consulto revocat ad grave illud

ἐπειδὴ ἀπεκτονὼς ἦν οὓς αὐτὸς ἔφη περὶ πλείστου ποιεῖν (§ 23) et

ἑτέρων διὰ ταῦτα ἀποθανόντων (§ 43)

sed magis obiter in orationis flumine de viris tum denuntiatis exclamat

§ 53 οἳ νῦν ζῶσι καὶ κατεληλύθασιν καὶ ἔχουσιν τὰ σφέτερα αὐτῶν

quae eadem repetuntur §§ 59 et 67. Itaque nostrae orationis firmamenta Andocidem in defensione spectare vix dixerit quispiam, id quod tamen debebat, si in iudicio Lysiaca quae fertur orata esset.

Ad eandem sententiam adigimur nonnullis indiciis ex eius qui loquitur sermone depromptis.

Videamus § 20.

ἐλπίζω μὲν οὖν αὐτὸν καὶ δώσειν δίκην, θαυμάσιον δὲ οὐδὲν ἄν μοι γένοιτο· οὐδὲ γὰρ ὁ θεὸς παραχρῆμα κολάζει, ἀλλ' αὕτη μέν ἐστιν ἀνθρωπίνη δίκη.

Difficile est arbitratu in actione talia verba usurpata esse[1]). Nam pecularis delatorum audacia et arrogantia prorsus desunt, nec verba tam ambigua et propemodum desperantia ullo modo quadrant ad hominem qualis fuit Cephisius vel subscriptorum quemquam.

Similiter duobus aliis locis haesitat sermo § 50 et § 16

§ 50 ἀλλ' ἐστὲ γὰρ ὑπὸ τῶν τούτου ἁμαρτημάτων ἤδη καταπλῆγες διὰ τὸ πολλάκις ἰδεῖν καὶ ἀκοῦσαι, ὥστε οὐδὲ τὰ δεινὰ ἔτι δεινὰ δοκεῖ ὑμῖν εἶναι

---

[1]) cf. Blass, Att. Bereds. ²I p. 570.

et § 16 ὑμεῖς δὲ αὐτοὶ οἱ ἀδικηθέντες περὶ ἐλάττονος ποιεῖσθε τὰ παρ' ὑμῖν νόμιμα ἢ ἕτεροι τὰ ὑμέτερα.

Utriusque loci verba quodammodo criminationes in iudices ipsos continent, cum illic exprobretur, gravia scelera iis iam non gravia esse videri, hic ab illis leges patrias et instituta minoris aestimari quam ab externis hominibus. Verbis talibus autem accusatores sibi ipsos nocere invidiamque iudicum movere proclive est coniectu.

In iis quae adhuc exposui, cum probabilitate quadam me demonstravisse confido in Andocidea non exstare responsionem ad ea quae in Ps.-Lysiaca leguntur. Attamen Zutt invectivam revera pro accusatione tum orata statuendam esse studuit evincere.

Cuius argumenta accuratius nunc inspiciamus.

Adversatur vir doctus (p. 4) Sluiteri iudicio, qui (p. 168) ex §§ Lys. 19 et And. 137 comparatis censuerat ad verba Andocidis accusationem esse effictam, non scriptam ab Andocide defensionem, ut Lysiacae disputationi responderet.

Postquam reus de periculis verba fecit, quibus in mari circumventus sit, sic pergit

137 εἶτα οἱ μὲν θεοὶ ἐκ τοσούτων κινδύνων ἔσῳζόν με σφῶν δὲ αὐτῶν προυστήσαντο τιμωρὸν γενέσθαι Κηφίσιον, τὸν πονηρότατον τῶν Ἀθηναίων κτλ.

Eadem sententia Lysiacae verbis subiecta est his

§ 19 ὁ δὲ θεὸς ὑπῆγεν αὐτὸν ἵνα ἀφικόμενος εἰς τὰ ἁμαρτήματα ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει δοίη δίκην.

His in verbis illud προφάσει perperam esse traditum idque commutandum in 'προστασίᾳ' affirmat Zuttius.

Qua emendatione locum accipere acumen suum, cum Cephisius se appellet προστάτην (sc. τῶν θεῶν). Ob id ipsum ab Andocide illudi

Κηφίσιον τὸν πονηρότατον τῶν Ἀθηναίων ὧν οὗτός φησι πολίτης εἶναι οὐκ ὤν, ᾧ οὐδ' ὑμῶν τῶν καθημένων οὐδεὶς ἂν ἐπιτρέψειεν οὐδὲν τῶν ἰδίων εἰδὼς τοῦτον οἷός ἐστιν.

At haec coniectura vel inde suspecta redditur, quod Zutt praeiudicata opinione nititur, Andocidem ad Lysiacae verba

respondere ideoque illam invectivae vocem ‘προφάσει’ secundum verbum Andocideum mutandam esse. Cuius mutationis rationem non intelligo. Neque adhuc illo in vocabulo quisquam offendit, etiamsi concedendum est, vocis ‘προφάσει’, qua hic usurpata est notionem non tam ex usu communi esse. Quid sibi velit, perspicuum est, idem est atque ‚mea opera‘, ‚me auctore‘ quae notio Hesychii fide fulcitur, qui s. v. πρόφασις declarat ‘αἰτία’, ‘ἀφορμή’, eandem igitur significationem voci supponit.

Ceterum quod addit nos insectationem illam in Cephisium non intellecturos esse, cum alludens ad προστασίας naturam ac genus exclamet *Κηφίσιος ὁ πονηρότατος κ. τ. λ.* caducum reor, cum hac § 19 Cephisium ne loquentem fingamus obstaculo sit § 42 ubi iste homo conviciis plectitur.[1])

Deinde Zutt progreditur ad I 85.

ἐπειδὴ δ᾽ ἀνεγράφησαν, ἐθέμεθα νόμον ᾧ πάντες χρῆσθε. καί μοι ἀνάγνωθι τὸν νόμον·

ἀγράφῳ δὲ νόμῳ τὰς ἀρχὰς μὴ χρῆσθαι μηδὲ περὶ ἑνός,

ubi ambigere nos dicit quae sint illae leges non scriptae, nisi certiores fiamus ex contraria oratione, ubi inveniantur haec

§ 10 *καίτοι Περικλέα ποτέ φασι παραινέσαι ὑμῖν περὶ τῶν ἀσεβούντων μὴ μόνον χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις νόμοις περὶ αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγράφοις, καθ᾽ οὓς Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται οὓς οὐδείς πω κύριος ἐγένετο καθελεῖν οὐδὲ ἐτόλμησεν ἀντειπεῖν οὐδὲ αὐτὸν τὸν θέντα ἴσασιν.*

Inde igitur patescere accusatum spectare ad Eumolpidarum loges non scriptas, quas quidem in accusatione memoratas audiverit.

Contra aliter rem illustrari oportere equidem credo, cum Zuttii sententia constare non possit. Consideremus, quo pacto reus adductus sit, ut *νόμους ἀγράφους* ad se tuendum afferat!

Delatores praecipue causam suam fundaverant in Isotimidis decreto

τὴν δὲ κατηγορίαν ποιεῖται κατὰ ψήφισμα πρότερον γενόμενον (I 71).

---

[1]) Praeterea neque reos neque accusatores potestatem praetermittere in adversarios contumeliis invehendi sat constat opinor.

Quocirca necesse erat Andocidem non iam ratum esse psephisma illud ex Euclide archonte demonstrare, id quod facit inde a § 85 provocans ad eam Atheniensium legem, qua constituerant legem nullam vel decretum valere, quod non approbatum in lapidibus sive columnis exaratum esset. Itaque ut fundamentum accusationis evertat, assidue pephismata atque leges recitanda curat et § 85 quoque *περὶ ἀγράφων νόμων* loquitur. Hae solae igitur leges non scriptae significantur, non spectat orator ad leges divinas a natura ipsa hominibus insitas, quas Eumolpidae interpretabantur. De his cogitare vel eo vetamur, quod ne attingitur quidem in defensione sacerdotum nomen neque ad eorum instituta alluditur.

Postremo nimirum Zutt aliquid observavit, quod primo obtutu sententiae eius de oratione vere habita favere videtur.

I 29 leguntur haec

καὶ γὰρ οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων, οἱ ταῦτα τὰ δεινὰ καὶ φρικώδη ἀνωρθίαζον, καὶ λόγους εἶπον ὡς πρότερον ἑτέρων ἁμαρτόντων καὶ ἀσεβησάντων περὶ τὼ θεὼ οἷα ἕκαστος αὐτῶν ἔπαθε καὶ ἐτιμωρήθη — τούτων οὖν ἐμοὶ τῶν λόγων ἢ τῶν ἔργων τί προσήκει;

De his Andocides nihil pronuntiat, contra in Ps.-Lysiacae exordio haec exstant

ἔδησε τὸν ἵππον ἐκ τοῦ ῥόπτρου τοῦ ἱεροῦ, ὡς ἀποδιδούς, τῇ δ' ἐπιούσῃ νυκτὶ ὑφείλετο. οὗτος οὖν ὁ ταῦτα ποιήσας θανάτῳ τῷ ἀλγίστῳ ἀπώλετο, λιμῷ.

Non dubium est quin his quodammodo illustrentur verba defensionis, quare Zutt putat eum qui orationem *κατ' Ἀνδοκίδου* ad accusati verba effictam esse credat, certo concludere oportere ab auctore invectivae hanc parabolam excogitatam esse, cum respiciens ad verba ista generaliter dicta I 29 accusationem conscriberet. At tale quid sumere neutiquam cogimur.

Talia proferre in actionibus *ἀσεβείας* institutis ex delatorum consuetudine et usu fuisse perspicimus ex Lysia, cuius item exemplum praesto est apud Athenaeum XII p. 551 D, quod usurpavit in oratione *ὑπὲρ Φανίου παρανόμων* habita.

Ceteroquin ex tota ratione ac genere huius invectivae de

quo infra acturus sam, minime mirum est tale quid non contemni.

Nulla ratione opinor Zuttii argumenta tam gravia censeri posse, quibus efficiatur, Andocidis orationem respondere criminibus in invectiva prolatis.

Itaque stat, quod aliis indiciis iam evicimus, Lysiae quae fertur in Andocidem orationem in iudicio non habitam esse.

Quare ne ad eam sententiam quidem confugere nobis licet, qua statuitur, pro deuterologia habendam esse invectivam. Quae sententia praeter ea, quae de §§[is] I 137 sqq. et VI 19 collatis cum § 42 supra (p. 26 sqq.) exposui, redargui videtur § 54, ubi invenimus verba haec

βούλομαι τοίνυν εἰπεῖν ἃ Διοκλῆς ὁ Ζακόρου τοῦ ἱεροφάντου, πάππος δὲ ἡμέτερος συνεβούλευσε κτλ.

Illius igitur, qui loqui fertur proavum nomine Zacori hierophantem fuisse liquido pronuntiatur. Contra hoc nil valet, quod Hoelscher (p. 68) affirmat, Zacorum non esse nomen proprium, sed rei divinae significationem secundum Suidam et Etymologicum Magnum h. v.; nam contrarium ostenditur testimonio inscriptionis.[1]) Fere inter omnes autem constat, honorem hierophantae semper retinuisse iure hereditatis Eumolpidas.[2]) Ergo ex nostro loco concludere necesse est, eum qui loqui dicitur generi Eumolpidarum adscribendum esse. Sed prorsus incredibile est, alterum ex subscriptoribus originem suam repetere a vetere Eumolpidarum gente, quamquam Wilamowitzius (l. l. II p. 74 n. 5) sese Meletum esse eum qui verba facit in Lysiaca quae fertur VI demonstraturum contendit. Nescio an hoc collegerit ex loco quodam Aristophaneo, quo de Meleto a Callia paedicato comperimus, si credimus Bergkii coniecturae, qui recte opinor scripsit *ὡς Καλλίου περαίνοντος αὐτόν.*[3]) Ac

---

[1]) C I A appendix continens defixionum tabellas n. 39.
[2]) Töpffer, Att. Genealogie p. 51. — A. Mommsen, Feste der Stadt Athen im Altertum. 1898. p. 258 n. 1.
[3]) Blaydes, Aristophanis deperditarum comoediarum fragmenta 438. 119 (158). — Meineke Fragmenta Comicorum Graecorum vol II 2 p. 1126 n. I. II 2 p. 993 n XIX (p. 1005 n. I. II). — Kock, Comicorum Atticorum fragmenta p. 420 n. 114 (p. 428 n. 149. 250) p. 505 n. 438.

nostrum Meletum una cum aliis a Callia ad accusationem incitatum esse scimus. Praeterea scholiasta ad Aristophanis Ran. v. 1302 Meletum eundem nuncupat hominem *ψυχρὸν ἐν τῇ ποιήσει καὶ ὡς πονηρὸν τὸν τρόπον* atque orationem nostram languorem frigusque prae se ferre concedemus item ac vix dubium erit quin Meletus non inter optimos homines honestissimosque numeretur, ita ut recte forsitan stet illud '*ὡς Καλλίου περαίνοντος αὐτόν*' (l. l.).

Verumtamen intelligi nequit cur Andocides sileret de facto quodam Meleti, quod Epichari (I 100) exprobrat, nisi noster Meletus ab illo Aristophaneo diversus esset. Quo accedit quod nusquam ne verbum quidem legamus Meletum ex Eumolpidis esse. Itaque cur eum pro invectivae auctore habeamus nil est mea quidem opinione.

Etiam de Epichare nihil certi scimus. Quod Zutt (p. 26) suspicatur eum non diversum esse ab illo qui CIA II n. 652[1]) appellatur *ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων* non modo non potest argumentis stabiliri, sed ne minimam quidem probabilitatem habet. Num existimandum est eum qui sub XXX tyrannis senatui interfuerit — neque Andocidem I 93 falsa hac de re tradere opinor — quique haud dubie rei verbis iudicibus odiosus erat redditus, postquam causa cui intervenerat, infeliciter cessit, tanto munere functurum esse, quanto nemo nisi splendidissimus quisque et opulentissimus ornabatur. Nam probabile mihi quidem videtur in docimasia quae vocatur eum reiectum esse. Neque si recte sese haberent, quae Zutt suspicatus est, inde concludere oporteret, Epicharem fuisse Eumolpidam. Quapropter consequi mihi videtur, nullo modo de oratione subscriptoris cogitare licere, siquidem Ps.-Lysiacam omnino non in iudicio oratam esse vidimus.

[1]) non C I, A III 643 quem titulum Zutt falso affort.

Caput IV.

Quid statuendum sit de Zuttii sententia accusationem nostram e protologia excerptam existimantis.

Etiam Zutt, qui ultimus de invectiva nostra Andocidisque defensione disputavit, sententiae illi de deuterologia non adnuit, confugit ad aliud subsidium quod hodie haud raro appetitur. Contendit exstare epitomam protologiae in lite habitae.

Nam nihil eorum deesse quae necessario accusatorem primarium protulisse consentaneum sit, neque statum causae, qui dicitur, neque argumenta, etsi haec concisa ac suo loco mota sint locis communibus, quos vocant, immodice usurpatis.

Revocat primum ad § 52.

Ex illa epilogi paragrapho, ubi de Andocidis facinore agatur, igitur causae status describatur, quem defensionis indicet § 111, proclive esse coniectu iam antea ipsam causam significatam esse. Quod fieri § 9

εἰς τοσοῦτον δὲ τόλμης ἀφῖκται ὥστε καὶ λέγει περὶ τοῦ νόμου ὡς καθήρηται ὁ περὶ αὐτοῦ κείμενος

ac nos exspectare illum *νόμον κείμενον* pronuntiari vel eum certe citari, qui legem rogavisset. Quod omitti non debere.

At num hoc omittitur? Nonne unicuique qui verba sequentia audiebat

καὶ ἔξεστιν αὐτῷ ἤδη εἰσιέναι εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ εἰς τὰ ἱερά

planum erat, Andocidem vetitum esse forum templaque ingredi? Profecto rectum est loco illi (§ 9) convenire ampliorem rei illustrationem, quae quidem § 52 exstat, si quidem ille qui loquitur iudices omnia edocturus est.

Attamen cur excerptor, qui fertur in epilogum iniecit illam explicationem, quam priore loco aspernatus erat? Cur omnino epilogus iste cum larga illa disputatione de arcanis profanatis?

Nam epilogum, quo orator iterum argumenta complectitur, exscribi e vera oratione ut a probabilitate alienum est, ita praecipue credi vix potest, epitomatorem res tam effuse illustrare in eo esse conatum.

Secundo loco Zutt provocat ad leges non scriptas, divinas (§ 10), quibus utendum sit iudicibus.

καίτοι Περικλέα ποτέ φασι παραινέσαι ὑμῖν περὶ τῶν ἀσεβούντων, μὴ μόνον χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις νόμοις περὶ αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγράφοις, καθ᾽ οὓς Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται κτλ.

Hic requirit vir doctus ut interpres quispiam legum illarum producatur, cum opinetur aliter perturbatos confusosque iudices futuros fuisse, quia quid sibi vellet talis memoratio, eos plane effugeret. Iniuria opinor! Cur enim leges illae recitentur aut earum interpres existat, cum interprete non indigeant utpote quae leges sint ab ipsa natura hominibus insitae quasque quidem Eumolpidae tantum recte interpretari sibi vindicant?

Deinde offendit in verbis § 21

Ἀνδοκίδης ἐπειδὴ ἥμαρτεν· εἰ μὴ παραδοίη τὸν ἀκόλουθον — τιμήσασθαι μαρτυρίου[1]). *ἐπὶ ἐλπίδι τῇ αὐτῇ.*

Haec omnia tam breviter et obscure esse dicta, ut ipsa illa breviloquentia epitome prodatur. Ego hoc contradico. Non liquet cur quis orationem excerpserit aspernatus omnem claritatem et perspicuitatem. Nam eius, qui epitomat interest omnia statim intelligi neque veri simile est eum verba sua quasi velis obtendere ita ut nihil acriter perspici possit. Ac profecto in Lysiae oratione XI, quae certe epitoma est Lysiacae X, nulla obscuritas neque verborum neque rerum adest, sed omnia sunt dilucida ac perspicua. Qua de causa obscuritate illa non adducor ut ad Zuttii sententiam inclinem.

Atqui alia congregat ad fulciendam opinionem. Autumat non modo ex singulis rebus quemadmodum narratae sint, sed ex tota orationis compositione apparere epitomam ex accusatione

---

[1]) Illud *τιμήσασθαι μαρτυρίου* iam dudum mutatum est, cum omni sensu careat. Legitur nunc locus iste omnibus probantibus *ὃς ῥᾷον ἡγήσατο δεσμοῦ τιμήσασθαι ἢ ἀργυρίου.*

Cephisii factam, qua in re multum nos lucrari Lysiae oratione XXX comparata. At in hac de epitome non esse cogitandum, nunc fere constare opinor.[1])

Praeterea narrationem Ps.-Lysiae non solum loco alienissimo insertam esse, sed dilaceratam et curtatam tantopere ut omnia quasi caligine obtegantur neque ex illa perluceat, cuius rei reus arguatur.

Huic quoque disputationi obiecerim ea quae modo exposui.

Exin vir eruditus hoc firmamento utitur, quod earum contumeliarum, quas in Andocidem adversarii iaculati erant, nostra in oratione ne verbum quidem legatur. Hanc argumentationem equidem potius in contrarium converterim. Cur epitomator qui fertur, haec gravissima crimina patris delati virgulaeque supplicatoriae in Eleusinio depositae silentio pressit? Licet causas neglexerit quae ad munienda opprobria allatae erant, crimen ipsum certe non potuit negligere.

Praeterea loci illi, quos supra iam urgebam (p. 26 sqq.), § 19 et 42 collatae cum § 139 defensionis demonstrant, Zuttium a vero aberrasse. Nam quod artificiosissime animo fingit, ab eo, qui excerpsit, ex protologia factam esse deuterologiam et errore accidisse ut §^{i} 19^{ae} locum item exscriberet, mihi absurdum ineptumque esse videtur.

Postremo falsum Plutarchum (auctorem saepenumero fallacem!) sibi documento esse putat, qui rectam viam ingressus sit. Quem scriptorem integram habuisse orationem cum vitam Andocidis componeret. Vocabula enim occurrere sicut ναυκληρίᾳ ἐπιθέμενος, ἐπεξενώθη etc., quae eadem inveniantur in invectiva et omnino similia esse quaedam in §§ 9 et 10 iis quae nostra in oratione §§ 25. 26. 27. 28. legantur. Tres locos imprimis quibus illustrentur, quae hic tantummodo tangantur, praesto esse in vita illa

§ 21 Ἀνδοκίδης ἐπειδὴ ἥμαρτεν
§ 23 εἰ μὴ παραδοίη τὸν ἀκόλουθον
§ 26 καὶ προδιδοὺς ληφθείς.

---

[1]) Confer O. Gülde, Quaest. de Lysiae oratione in Nicomachum. Berl. 1882 p. 44. Blass, l. l. ²I 466.

De duobus prioribus etiamsi fieri possit, ut ficta falsus Plutarchus referat, tamen in tertio illo *καὶ προδιδοὺς ληφθείς* eum quidquam ementitum esse infitias it Zutt. Facile concedo Ps.-Plutarchum notitiam rerum Andocidearum deprompsisse etiam ex invectiva, at eam nondum excerptam scriptorem illum inspexisse nego, quia commenticia est illa narratio de Andocidis consobrina et quam maxime incredibilis hisce de causis.

Consobrinam suam dicitur Andocides tradidisse Citiensium regulo; cum autem metuendum esset ne accusaretur, clam suffuratus Cypro a principe comprehensus esse. Igitur in conamine illo captus est, siquidem post facinus peractum in insulam redire certe non conatus est. Ergo non contigit ei ut virginem in patriam reduceret et Athenas reverso confestim accusatio impendebat. At eiusmodi litem adversus oratorem intentam esse, non audimus. Quo accedit quod eo tempore quo id evenisse traditur, inter annos 415 et 411 atimia affectus erat neque in urbe eum moratum esse probabile est. Iam hinc apparet, opinor, ea quae apud auctorem vitarum X oratorum memoriae mandantur, alienissima esse a vero neque ei credi posse, tale quid reo in iudicio exprobratum esse.

Itaque si amplectimur quae argumenta Zutt usurpaverit, ut nobis persuaderet hanc Andocidis accusationem e genuina forma in breviorem contractam esse, affirmabimus nequaquam ea esse apta idoneaque, quibus fidem habeamus, ita ut pro certo statuendum sit, perperam iudicasse virum doctum.

Caput V.

Quid de Lysiaca quae fertur sexta censendum sit.

Demonstrasse adhuc mihi videor, Lysiacam, quae fertur, neque pro rhetoris inferioris aetatis compositione neque pro oratione iudiciali in ipsa lite tunc habita neque pro epitoma ex

Cephisii accusatione facta duci posse. Restat igitur, cum accusationis rationem ac genus prae se ferat, Andocidis eius argumentationis rationem non habeat, ut concludamus post litem mysteriorum violatorum eam conscriptam esse. Quapropter verisimile est, auctorem ad fingendam accusationem inspexisse rei defensionem quippe quae omnia crimina propulsare studeret. Suspicari autem licet locis quibusdam similitudinem patescere non modo in verbis, verum etiam in rebus ac sententiis. Quae similitudo num inveniatur iam ponderemus.

Praecipua consensio exstat inter Andocideae § 137 sqq. et Ps.-Lysiacae § 19 sq.

139: *οἱ μὲν θεοὶ ἐκ τοσούτων κινδύνων ἔσῳζόν με, σφῶν δὲ αὐτῶν προυστήσαντο τιμωρὸν γενέσθαι Κηφίσιον*	*ὁ δὲ θεὸς ὑπῆγεν αὐτὸν ἵνα ἀφικόμενος . . . ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει δῴη δίκην.*
137: *κατηγόρησαν δέ μοι καὶ περὶ τῶν ναυκληριῶν καὶ περὶ τῆς ἐμπορίας*	*ἀλλ' ὡς θαρρῶν ναυκληρίᾳ ἐπιθέμενος τὴν θάλαττον ἔπλει.*

Vi eadem sunt loci, sed variis verbis

ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει — *προϊστήσαντο*

περὶ τῶν ναυκληριῶν — *ναυκληρίᾳ ἐπιθέμενος.*

Haec quoque etsi non verbis ad rei disputationem applicantur, tamen similitudinem quandam praebent

138: *ὑφ' ὧν* (sc. *λῃστῶν*) *πολλοὶ ληφθέντες . . . αἰκίαις ταῖς μεγίσταις περιέπεσον καὶ τὰ σφέτερα αὐτῶν σώματα αἰκισθέντες ἀπέθανον*	*ἐν δὲ τούτῳ τῷ χρόνῳ δέη πολλα καὶ κινδύνους ὁ θεὸς ἐπιπέμπει τοῖς ἀδικοῦσι . . . ὁ δὲ θεὸς τέλος τούτων λυμηνάμενος τῷ βίῳ θάνατον ἐπέθηκεν.*

Porro ex usu est comparare § 139 cum Lys. § 19. Hic enim eandem oppositionem habemus atque illic

139 *ἐγὼ μὲν οὖν ὦ ἄνδρες ἡγοῦμαι χρῆναι νομίζειν τοὺς τοιούτους κινδύνους ἀνθρωπίνους, τοὺς δὲ κατὰ θάλατταν θείους.*

Andocides paulo supra de itineribus maritimis egit. Etiam in accusatione sermo est de navigatione (§ 19), adiungitur § 20

οὐδὲ γὰρ ὁ θεὸς παραχρῆμα κολάζει, ἀλλ' αὕτη μέν ἐστιν ἀνθρωπίνη δίκη.

Utroque loco usurpatur ad significandam litem vox 'ἀνθρώπινος' ac quamquam antitheton illud Andocidis verbis magis conspicuum fit, hic tamen manifesto eandem oppositionem adhibere studuit imitatus Andocideum illud. Sic verba illa *αὕτη μέν ἐστιν ἀνθρωπίνη δίκη*, quae Falk (p. 80 Anm. 20b) pro spuriis declarat, ipsa illa imitatione verborum Andocideorum ut genuina muniuntur certeque servanda sunt.

Aliud inspiciamus.

Andocides gloriatur (59. 68) se denuntiatione urbem ex timore et perturbatione exemisse. Adversarius idem affert, ut sophistice opponat quisnam illius perturbationis auctor fuerit

I 59 *καὶ τὴν πόλιν ἐκ φόβου καὶ κακῶν τῶν μεγίστων ἀπήλλαττον* 68 *ὑμεῖς δὲ ἀπηλλάγητε μεγάλων φόβων καὶ τῶν εἰς ἀλλήλους ὑποψιῶν*	VI 35 (*φησὶ γὰρ ἀγαθὰ μεγάλα ποιῆσαι τὴν πόλιν μηνύσας*) *καὶ ἀπαλλάξας δέους καὶ ταραχῆς τῆς τότε.*[1])

Porro narratio illa accusati inde a § 48 invectivae § 21 sqq. quasi fons erat, unde notitia rerum fluxit. Tantummodo nonnulla aliter conversa sunt. Ut enim hic ipsum contrarium contenditur eorum quae legimus § 64, sic quae Andocides de affinibus suis dicit I 58, in eum ipsum transfert ille

58 *ἔδησεν αὐτούς, σωτηρία δέ αὐτῶν ἄλλη οὐδεμία ἦν*	21 *ἔδησεν ἑαυτόν* 23 *ἡ δὲ σωτηρία ἀφανὴς αὐτῷ.*

Etiam in § 32 vestigia verborum oratoris conspicimus (I 26)

I 26 *καὶ ἐάν τις ἐλέγξῃ με ὅτι ψεύδομαι, χρήσασθέ μοι ὅτι βούλεσθε*	VI 32 *τὸ δὲ τελευταῖον νυνὶ παρέδωκεν αὐτὸν ὑμῖν χρῆσθαι ὅτι ἂν βούλησθε*

Idem sane hic exstat atque apud Andocidem nisi quod omissum est *ἐάν τις ἐλέγξῃ με ὅτι ψεύδομαι* et omnino hoc de reo dicitur, cum ipse respiciat solas delationes de mysteriis

[1]) cf. quoque § 66 verba *πολλῶν κακῶν καὶ κινδύνων ἀπαλλαγέντες.*

violatis factas. Exinde delegaverim ad § 105 coll. cum § 7. Andocides postquam narravit, Athenienses oblivione pacta statuisse, ut facinora ante populi reditum commissa inulta essent, atque multos viros hac fretos in urbe commorari, quorum permagni interesset quem exitum habitura esset causa illa, sermonem sic terminat

I 105 *ὁ μὲν ἀγὼν ἐν τῷ σώματι τῷ ἐμῷ καθέστηκεν, ἡ δὲ ψῆφος ἡ ὑμετέρα δημοσίᾳ κρινεῖ, πότερον χρὴ τοῖς ὑμετέροις πιστεύειν ἢ τοὺς συκοφάντας παρασκευάζεσθαι ἢ φεύγειν αὐτοὺς ἐκ τῆς πόλεως καὶ ἀπιέναι ὡς τάχιστα.*

Similia legimus Apud Ps.-Lysiam sed in contrariam partem conversa

VI 7 *ὥστε — οὐ ῥᾴδιόν ἐστιν ὑμῖν αὐτῷ οὐδὲν χαρισαμένοις παρὰ τὸ δίκαιον λαθεῖν τοὺς Ἕλληνας - - - εὖ γὰρ ἐπίστασθε ὅτι οὐχ οἷόν τε ὑμῖν ἐστιν ἅμα τοῖς τε νόμοις τοῖς πατρίοις καὶ Ἀνδοκίδῃ χρῆσθαι, ἀλλὰ δυοῖν θάτερον ἢ τοὺς νόμους ἐξαλειπτέον ἐστὶν ἢ ἀπαλλακτέον τοῦ ἀνδρός.*

Illi '*ἡ δὲ ψῆφος ἡ ὑμετέρα δημοσίᾳ κρινεῖ*' respondet hic '*οὐ ῥᾴδιόν ἐστιν λαθεῖν τοὺς Ἕλληνας*'; ab utraque parte provocatur ad leges patrias, sed oppositio alia est; illic opponuntur inter se *νόμοι* et *συκοφάνται*, hic *νόμοι* et *Ἀνδοκίδης* et quod reus de sycophantis dixit transfertur in illum ipsum.

Postremum, quo similitudo inter utriusque verba intercedere mihi videtur, § 32 Andocideae et § 5 Lysiacae quae fertur continetur.

32 *καὶ ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων, οἳ τῆς ἑορτῆς ἕνεκα ἔρχονται δεῦρο*	5 . . *τοὺς μύστας* . . *ἢ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας οἳ ἕνεκα ταύτης τῆς ἑορτῆς [ἐπιδημοῦσιν]* (Cobet).

Insuper totius loci inde ab § 29 consensum dignoscimus cum initio invectivae, quod de exemplis illis poenae divinitus hominibus scelestis ingestae utrubique certiores fimus.

Ex omnibus iis quae collegi indiciis ad probabilitatem quandam adduxisse mihi videor, ei qui invectivae componendae operam navavit, ipsius Andocidis defensionem non modo ob animum, sed ob oculos versatam esse, id quod iam Sluiteri

acumine perspiciebatur (p. 168). Ac profecto hoc si reputamus, iam nonnulla, quibus offenderamus, magis liquent. Nam intellegemus nunc quidem, cur opprobria vel gravissima auctor plane neglexerit. Dico patris delationem et rami supplicis in Eleusinio depositionem (cf. p. 28 sqq.).

Quorum utrumque ab Andocide ita refutatum erat, ut ineptum videretur, contrarium evincere studere, quare tantum de affinibus amicisque delatis sermo fit (§ 23).

Etiam quod de legibus non scriptis perhibetur in invectiva, sic non difficile explicatur. Reus provocaverat ad leges quae non exaratae in lapidibus neque civibus probatae nihil iam valerent. Quod cum satis firmis argumentis munivisset, hic ne conatur quidem inimicus eius causas debilitare, contra haud inscite aliam notionem supponit voci ‘νόμων ἀγράφων’ § 10, ut habeat, quod argumento ex legum non scriptarum mentione petito contradicat.

Porro nunc facile intelliguntur verba § 42 ὧν οἷτος νῦν μεμνήσεται, cum reapse Andocides acriter invehatur in accusatores suos §§ 92 et 132, unde igitur item apparet opinor auctori invectivae ob oculos fuisse Andocideam.

Praeterea minima habetur ratio eorum, quae in Andocidea proferuntur praeter § 37 sqq., ubi tamen memorantur, quae a reo pressum iri accusator suspicari minime poterat. Argumentationem solidam frustra requires ac rectissime Hoelscherum (p. 57) iudicasse arbitror et similiter Falkium (p. 68) qui statuerunt oratorem semper rem augere, declamare, nil probare. Hoc elucet nonnullis e locis, quibus accusationis verae speciem sibi asciscit invectiva: § 9 quamquam pronuntiatur, reum Isotimidis decreto vim abrogare, tamen ne conatur quidem adversarius, contrarium argumentis evincere.

§ 23 agitur de denuntiatis consanguineis amicisque Andocidis, sed testis, qui hoc verum esse testificetur nullus producitur, ut testimonia omnino ac prorsus negliguntur.

§ 24 quoque psephisma in reum rogatum esse audimus, sed ipsum illud non recitatur.

In ceteris nusquam accusationis firmamentum invenies;

semper civibus accusati flagitia non esse ignota affirmat iudicesque ne eum manibus dimittant cohortatur.[1])

Quam maxime autem notabile est, quod unum quasi principatum tenet disputationis, religio ac dei. Per totam orationem dispersa sunt haud pauca, quae magis a sacerdote quodam dicta esse videntur quam a delatore et sycophanta. Non modo ipsa rei impietas urgetur,[2]) sed de superum vindicta in homines nefarios immissa saepius sermo fit[3]) et iudices cum in aliorum Graecorum invidiam venturos esse[4]) tum in deorum pluribus locis indicatur[5]). Duobus locis praeterea delegatur ad eam quam prioribus temporibus de impiis viris rationem Athenienses inierint (§ 10 et § 54).

Apparere videtur auctorem fuisse hominem in rebus sacris aliquantum versatum. Tamen non licebit, opinor inde concludere eum sacerdotum genti cuidam, nempe Eumolpidarum attribuendum esse. Hoc solum certum esse arbitror illum qui invectivam composuit non modo Andocidis impietati tam infestum sese praebuisse, verum insuper invidiam in eum effundere propter partes quas accusatus tum sequebatur. Ab optimatibus enim stare videtur, ut iam recte monuit Zutt (p. 31).[6]) Ac profecto hac de re exclamat

§ 13 *τοὺς μὲν οὖν ἄλλους οἱ ἐπιτάξαντες καταδέξασθαι ἀδικοῦσι καὶ τοῦ αὐτοῦ ἀσεβήματος αἴτιοί εισιν*

quibus verbis se ipsum non contentum esse illo '*μὴ μνησικακεῖν*' (Aristot. Resp. Athen. c. 39) profitetur.

Itaque laudem illam Areopago tribui intelligimus

§ 14 *ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ἐν τῷ σεμνοτάτῳ καὶ δικαιοτάτῳ δικαστηρίῳ*

---

¹) In diiudicanda oratione in universum assentiendum est eis, quae Hoelscher l. l p. 57, Falk p. 68, Blass ²I p. 566 ff. exposuerunt.

²) §§ 11. 15. 17. 19.

³) §§ 3. 20. 22. 27. 29. 31/32.

⁴) §§ 4/5. 16.

⁵) §§ 53. 33. 32.

⁶) Quod inde credibilius fit, quod ei patroni exstiterant causae, qui tum plebem moderabantur, Anytus et Cephalus (cf. supra p. 10).

cum Areopagum semper nobilium studiis favisse constet. Etiam verba § 7 non sine consilio usurpantur

ʻὃς τέχνην ταύτην ἔχει τοὺς μὲν ἐχθροὺς μηδὲν ποιεῖν κακόν, τοὺς δὲ φίλους ὅτι ἂν δύνηται κακόν,ʼ

quibus alludi mihi videtur ad partes, quibus prius steterit in republica, cum Euphileti sodalicio intererat, quae verba eum admonent eius iurisiurandi, quo hetaeriae sodales sese obstringebant teste Aristotele Polit. VII p. 1310ª 9 (Susemihl)

καὶ τῷ δήμῳ κακόνους ἔσομαι καὶ βουλεύσω ὅτι ἂν ἔχω κακόν.

Ac si nobilium quemquam orationem nostram conscripsisse censebimus, difficultas quoque quae de § 42 exstat, facile expeditur. Nam is, qui eam confecit, se cum Cephisio eiusque sodalibus nequaquam consuetudinem habere, sed ab iis esse animo alienissimo indicare volebat. Hac de re nescio an illud ἀντικατηγορήσει καὶ ἕξει ὅτι λέγειν scripserit recordatus eorum, quae Andocides § 29 adversario exprobraverat.[1])

Ex nobilium igitur ordine hanc invectivam originem traxisse verisimillimum est. Quod per se fidem aliquam sibi comparat. Est enim consentaneum optimates ab delatione eorum, qui hetaeriae Euphileteae fuerant, oratorem odio persecutos esse capitali, cum proditione illa ad populares descivisset. Atque ut mox exulem eum reddiderant Isotimidis decreto, utque odium paene expleverant, cum anno 411 sub quadringentis redux fieret, ita post oblivionem indigne tulerunt, quod ille non solum Athenis commorabatur sed rem publicam capessens auctoritatem dignitatemque acquirebat.

Quibus omnibus peractis ad disquisitionis finem perveni. Ut eius summam conficiam, haec statuenda esse de Lysiae quae fertur oratione VI mihi persuasi.

Conscripta est ab Andocidis aequali, quem eundem ab optimatium partibus stetisse perlucet. Nomini autem rhetoris

---

[1]) Haud scio an inde § 31 potius declaretur: καὶ ὅταν τις τὸν αὑτοῦ βίον τοῖς ἐχθροῖς καὶ τοῖς συκοφάνταις διανέμῃ κ. τ. λ. quae verba nos admonent Andocidis illud I 99 πότερον ὦ συκοφάντα καὶ ἐπίτριπτον κίναδος, atque illud ʻσυκοφάνταιςʼ ad ‚ἐχθροῖς‘ appositum ad vocabuli vim augendam mihi quasi indicare videtur, auctorem minime esse propenso animo in illos homines.

cuiusdam, qui tum florebat, invectivam addicere nulla ratione licebit, siquidem certius quidquam de auctore enucleandi facultas non data est.[1])

Is qui eam conscripsit, defensionem Andocidis iam publici iuris factam inspexit atque imitatus speciem accusationis iudiciariae[2]) ex iis quae de lite ex adversarii oratione deprompserat, opus confecit forsan eo consilio ut oratoris studiis auctoritatis in civibus adipiscendae quam maxime noceret, quoniam fieri non potuerat, ut causa mysteriorum profanatorum nobiles proditionem eius adversus sodales Euphileti hetaeriae commissam ulciscerentur.

---

[1]) Quod Blass l. l. [2]I 570 existimavit orationem aliquantum mutatam ad lucem editam esse propter §§ 42. 20. (31) ex iis quae disseruimus, non est cur approbemus. Deinde neque ad Calliam confugiemus, quem orationem habuisse Perrot l. l. I 194 prodit. Haec sententia iam inde respuitur, quod Callias ex Cerycum gente erat. (I § 116). Neque cum Bergkio (l. l. IV 357) Theodoro Byzantio eam attribuemus, tametsi Dion. Hal. *περὶ Ἰσαίου* 19 iudicat eum esse — *οὔτε ἐξέτασιν ἱκανὴν ἐν τοῖς ἐναγωνίοις δεδωκότα λόγοις*, quem tam confuse rem agentem quemquam quamvis supscriptorém, facturum fuisse mihi quidem nemo persuadebit.

[2]) cf. praecipue § 19 *ἐπὶ τῇ ἐμῇ προφάσει*, quibus cum verbis sane § 42 verba *ἕτερος δὲ ἥξει Κηφισίῳ καὶ ἡμῶν ἑκάστῳ* non conspirare neglexit auctor. Igitur habemus hic simile aliquid ac Polycratis sophistae accusationem Socratis, qui item Anytum verba facientem induxit. Hirzel, N. Rhein. Mus. XLII p. 239 ff. cf. Lipsius, And. p. X n. 35.

Tabula argumenti.

VITA.

Natus sum Hans Heinrich Walter Weber Dresdae in urbe florentissima anni h. s. LXXVII. die XXV. mensis Octobris patre Heinrich, qui mihi puero XIV annorum fati acerbitate abreptus est, matre Laura e gente Jäppelt oriunda. Addictus sum fidei evangelicae. Litterarum elementis instructus anno LXXXVII. in gymnasium Wettinianum receptus sum Dresdense rectore Meltzer, cuius erga me benevolentiam semper animo grato recordabor. Novennio absoluto vere anni h. s. XCVII. Almam Matrem Lipsiensem adii, studiis philologis operam daturus.

Docuerunt me viri illustrissimi Birch-Hirschfeld, Brugmann, Cichorius, Gardthausen, Heinze, Immisch, Lipsius, Marx, Ribbeck (†), R. Richter, Schneider, Studniczka, Wachsmuth, Weigand, Windisch.

Proseminario philologo duo semestria moderante Immisch frequentato per ter sex menses exercitationibus seminarii philologi sodalis ordinarius interfui auspiciis Lipsii, Ribbecki (†), Wachsmuthi. Benigne mihi aditum ad societatem graecam concesserunt Lipsius nunc quintum semestre spatium, ad seminarium historicum Wachsmuth alterum, ad exercitationes historicas Cichorius septimum, ad seminarium paedagogicum Richter alterum.

In societate archaeologica Schneideri comitate per sex menses moratus sum, per bis senos menses in proseminario Francogallico regente Weigand.

Quibus viris humanissimis omnibus gratiam habeo quam maximam, praecipue autem Lipsium, qui studiorum meorum exstabat fautor liberalissimus ac benevolentissimus semper animo pio gratoque persequar.

Semper denique memor ero sodalicii philologi Lipsiensis, ex quo et studiorum largum fructum et amicorum dulce commercium me percepisse libenter pronuntio.

In societate archaeologica Schneideri comitate per sex menses moratus sum, per bis senos menses in proseminario Francogallico regente Weigand.

Quibus viris humanissimis omnibus gratiam habeo quam maximam, praecipue autem Lipsium, qui studiorum meorum exstabat fautor liberalissimus ac benevolentissimus semper animo pio gratoque persequar.

Semper denique memor ero sodalicii philologi Lipsiensis, ex quo et studiorum largum fructum et amicorum dulce commercium me percepisse libenter pronuntio.